




3 6105 025 681 649





IORDANI BRVNI NOLANI

OPERA LATINE CONSCRIPTA

PVBLICIS SVMPTIBVS EDITA.

VOL. I PARS IV.

1. **Summa terminorum metaphysicorum.**
2. **Figuratio physici auditus Aristotelis.**
3. **Mordentius et de Mordentii circino.**

CVRANTIBVS

F. TOCCO ET H. VITELLI.

FLORENTIAE

TYPIS SVCCESSORVM LE MONNIER

MDCCCLXXXIX.

Degli opuscoli compresi in questa quarta ed ultima parte del primo volume, solo la *Summa terminorum metaphysicorum* era stata ristampata dal Gfrörer, la cui edizione, divenuta ormai anch'essa rarissima, ci fu favorita dal nostro collega dell' Università di Torino, il prof. Romualdo Bobba. Il Gfrörer aveva condotta l'edizione sua su quella di Marburgo, di cui un esemplare ci fu cortesemente trasmesso dalla biblioteca di Monaco, ma noi potemmo anche usare della prima e rara edizione di Zurigo (che va fino a p. 72, 28) grazie alla somma liberalità della biblioteca turicense. Quanto vantaggio abbiamo ricavato dal collazionare tutte e due le antiche stampe, si può vedere in moltissimi luoghi, fra i quali citiamo ad esempio p. 24, 10. 32, 12. 34, 27. 37, 28. 51, 13 etc. Molto ci giovò anche la edizione del Gfrörer, benchè (e ciò sia detto per tutte le opere Bruniane di cui curò la ristampa) il metodo da lui seguito sia troppo diverso da quello che seguiamo noi, perchè egli corregge anche le sgrammaticature e le improprietà di linguaggio del Bruno, noi invece non vogliamo emendare se non gli errori di stampa, o al più qualche *lapsus calami*, che il Bruno stesso presumibilmente avrebbe corretto, ove se ne fosse accorto. Che poi talvolta (per es. p. 25, 17. 30, 8.

40, 1. 54, 3. 80, 3. 107, 16 sq. 115, 4. 119, 26 etc.) sia avvenuto al Gfrörer di correggere per non aver bene inteso, sembra scusabilissimo peccato a noi, che in questo caso *veniam petimusque damusque vicissim.*

Gli altri due opuscoli, la *Figuratio Physici auditus Aristotelis* e i dialoghi sulle invenzioni del Mordente, non furono mai ristampati. Il primo non presenta di regola gravi difficoltà, quando si tenga a riscontro la Fisica Aristotelica, che il Bruno compendia a volte in modo affatto inintelligibile; gravissime invece ne offre il secondo, e non facili ad essere eliminate neanche da più esperti matematici, che noi non siamo, senza il sussidio delle opere originali del Mordente mancanti nelle nostre biblioteche. Tanto per l'uno quanto per l'altro opuscolo abbiamo adoperato un esemplare della biblioteca universitaria di Torino.

Agosto, 1889.

SVMMA

TERMINORVM METAPHYSICORVM.

Nelle nostre note T = ediz. di Zurigo, M = ediz. di Marburgo, G = ediz. Gfrörer. Il frontispizio in T è: SVMMA | TERMINORVM | METAPHYSICORVM, | ad capessendum Logi|cae et Philosophiae | studium, | EX | IORDANI BRVNI NOLANI | Entis descensu manusc. | excerpta; | Nunc primùm luci commissa; | A | RAPHAELE | EGLINO | ICONIO, TIGVRINO. | TIGVRI | APVD IOANNEM WOLPHIVM, TYPIS | FROSCH. ANNO M. D. XCV. *Noi al pari del Gfrörer abbiamo riprodotto il frontispizio di M, nel quale però il Gfrörer scrive* Raphael *invece di* Raphaelem.

SVMMA

TERMINORVM METAPHYSICORVM

IORDANI BRVNI NOLANI.

ACCESSIT EIVSDEM

PRAXIS DESCENSVS SEV APPLICATIO ENTIS

EX MANVSCRIPTO

PER

RAPHAELEM EGLINVM

ICONIVM TIGVRINVM IN ACAD. MARPVRG.
PROFESS. THEOLOG.

CVM SVPPLEMENTO RODOLPHI GOCLENII SENIORIS.

MARPVRGI CATTORVM,

EX OFFICINA RODOLPHI HVTWELCKERI,

ANNO 1609.


NOBILISS. IVVENI **a 2r M**
415 G

FRIDERICO A SALICIBVS

GENEROSI VIRI IOANNIS F.

RAPHAEL EGLINVS ICONIVS

S. D.



En tibi, Friderice nobilissime, Iordani Bruni Nolani reliquias metaphysicas; reliquias inquam, quia de Lampade, quam ille De Entis descensu adornabat integram. Stans pede in uno, quantum calamo consequi possis, simul et dictare et cogitare; tam rapido fuit ingenio et tanta vi mentis! Ego vero collectum a me hunc libellum, non magnopere a doctrina Peripateticorum abhorrentem, et utilem et gratum fore studiosis omnibus spero, si qui magistram philosophiae logicam et logicae alumnam philosophiam vel a limine (ut aiunt) salutarint. Nec enim parum momenti ad res investigandas recteque | tradendas horum **a 2v M** explicatio terminorum attulerit, quandoquidem de rebus omnibus contracta vel aliis modis immutata ratione dici possunt, vel quidditative (ut cum Iordano loquar) vel denominative, affirmative aut negative, vel secundum rem

---

7 Metaphysicas. Reliquias, inquam *MT*

vel secundum similitudinem, in recto denique vel in obliquo. Quo magis certe, cum arbitratu meo premi vel promi possent, ad utilitatem omnium in apertum referre volui. Tibi vero, generose iuvenis, veluti proprios dicandos putavi, non quod tu horum indigeas, sed quod unus optime et intelligas et ames. Nequeo enim ne nunc quidem satis admirari singulare illud acumen ingenii doctrinaeque usum in te tantum, quantum ad literatae nobilitatis exemplum atque facem omnibus praeferendam in alio vix certe memini, non solum in hac tua iuvenili, sed ne quidem multo etiam provectiore aetate. Et multus sane de Iordano | sermo **416 G**, qui nobis apud generosum Dn. patrem tuum superiore autumno fuit, hoc ipsum veluti munus, quasi quodam iure suo, a me flagitare visum est, quod tuo patrocinio literatis hominibus commendaretur. Accipies igitur tanquam abs tui familiaeque tuae generosissimae observantissi|mo **a 3r M** homine debitum officii pignus, quod quidem (cum de meo solvendo non sim) aliunde mutuari licitum esto, ad testificandam in te animi mei voluntatem. Vale. Tiguri. VI. Calend. Mai. MDXCV.

---

8 litteratae *G* 14 *forse* visus? 18 *sq.* testificandum *G*

PRAEMISSA a 3^{v} *M* 417 *G*

DE ENTE EIVSQVE TVM SYNONYMIS,

TVM IN ACTVM ET POTENTIAM DISTINCTIONE,
QVAE AVCTOR IN SVMMA TERMINORVM PAVLO POST ALLEGAT.

Ens interdum aequivoce sumitur, quando nomen et ei quod est et ei quod non est commune capitur. Nam cum denominet quidquid per verbum est indicatur, esse ab aequivoco entis nomine intelligitur derivare. Dicimus enim tum m u n d u s e s t e n s, tum C h i m a e r a e s t n o n e n s, ubi verbum substantivum est in ambabus orationibus extremorum est copulativum. Interdum sumitur univoce, quando secundum propriissimam atque principalissimam significationem usurpatur, et dicitur de iis quae in uno eodemque sunt genere substantiae; accidentia enim non dicuntur entia, sed | entium. Aliquando dicitur analogice, ubi tum sub- a 4^{r} *M* stantiae, de qua principaliter dicitur, tum accidentibus, de quibus per comparationem ac respectum quendam praedicatur, ut commune quiddam accipitur. Sicut enim sanum primum quidem de animali in eucrasia quadam constituto, mox de parte, medicina, nutrimine, symptomatibus, signis, effectibus; ita ens primo dicitur de substantia, secundo de via ad substantiam, generatione et corruptione,

---

2 synonimis *MT*   19 quaedam *G*

tertio de iis quae substantiae insunt, inhaerent et cum illa consistunt, quantitatis et qualitatis species, quarto de iis quae illi astant, circumstant et quomodolibet apprimuntur, ut relationes, actiones, passiones et reliqua. Quandoque denominative, ut ab entitate vel essentia derivatur. Haec enim secundum modum absoluti, abstracti et denominantis et primitivam, illud vero coniuncti, concreti, denominati et dependentem apprehen|ditur. Nec raro **418 *G*** synonyme, nempe secundum diversa nomina et unam eandemque ferme rationem, atque ita iuxta | accidentales quas- **a 4v *M*** dam differentias (nunquam enim diversa in eadem coordinatione nomina aliquo pacto significatione non differunt) quinque famosis apud latine philosophantes nominibus eius significatio aequipollet.

Ea igitur, quae enti aequipollent, quinque sunt (unde sex ille transcendentium numerus evulgatus est): r e s, a l i q u i d, u n u m, v e r u m, b o n u m. Ista iuxta primam principalemque significationem idem significant quod et ens. Eorum scilicet tum singula tum plura quodlibet cum ente convertuntur, quae secundum propriorem proximioremque significationem distinguuntur. Primo enim ens de principali suo significato actum significat essendi; secundo rem (a qua r e o r r a t u m que deducitur) magis communiter, nempe tum actum essendi, tum quidditatem ipsam et essentiam; tertio unum significat ens et rem, ut indivisum quiddam (nihil quippe est, nisi sit hoc vel illud et secundum se unum); quarto aliquid significat ens, rem, unum, ut divisum quiddam atque distinctum ab | alia quacunque re, uno et **a 5r *M*** ente (aliquid nempe dicitur, quasi aliud quid); quinto ve-

---

2 ‹ut› quantitatis *G*   3 adstant *G*   4 *sq.* reliqua, quandoque e 6 Hoc enim *G*   7 *forse* primitivum?   9 synonime *e simili m. altrove MT*   19 quolibet *G*: *leggi* quotlibet   22 rem *G*: RES *MT*

rum significat aliquid, ens, rem, unum secundum convenientiam ad intellectum concipientem (verum quippe iuxta propriam istiusmodi rationem definitur, cuius conceptus ei quod est extra conceptum quadrat); sexto bonum dicitur ens, res et caetera secundum talem convenientiam eorum ad voluntatem, qualis est verorum ad intellectum. Bonum vero iuxta communiorem significationem, qua cum ente convertitur et reliquis aequipollet, est quatenus naturaliter significat; idem namque est bonum aurum, verum aurum, quoddam aurum, unum purumque aurum, res quae aurum, ens aurum. Pro quibus sigillatim animadvertendum est ad eam qua synonyma sunt significationem ⟨et⟩ ad eam qua cum ente diversifica capiuntur. Res enim non ab eo quod est reor denominative hîc | dicitur, sed ab hoc quod **419 G** ratio est seu ratum quiddam. Aliquid non capitur adiective, quatenus accidentaliter significat, seu per adiacentis modum, | unde aliquis est sol, aliqua est luna, aliquod est **a 5v M** astrum, sed significat substantive, prout aliquid est sol, aliquid astrum, aliquid luna. Unum non quatenus numeri principium indivisibilitatemque certam significat et reductive est in praedicamento quantitatis, sed ab individuitate qua singula entium sunt hoc ipsum quod sunt incommunicabiliter. Verum non a logica significatione, quae in complexione quadam accipitur, affirmationem vel negationem consequente vel concomitante, vel etiam iudicium tum sensus tum trium intellectus operationum (conceptionis, verificationis et discursus), sed iuxta transcendentem illam, qua verum dicitur vinum, qua ipsum est et non aliud, purum et non mixtum, similiter et quodcunque aliud in suo ordine, genere atque modo. Bonum non ab ethica, sed a

9 nanque *MT'* 12 et *G*: *om. MT*

physica communiter dicta significatione, qua quidquid est verum et simplex, hoc vel illud, idem et bonum dicitur, ut ens philosophus, verus philosophus, bonus philosophus. Et haec physice accepta bonitas extenditur ad mo|dos **a 6r M** naturae, artis et intentionis et nominis et cuiuscunque alius. Itaque bonitas est duplex: substantialis seu essentialis, atque superveniens; et haec subdividitur in adhuc naturalem, sicut est bona dispositio ad ambulandum, diu vivendum; moralem, qualis est dispositio ad iuvandum alios; fortuitam, sicut bona dicimus opes atque favores astri; et voluntariam, qua bona sunt humana atque divina beneficia.

Ens porro prima divisione secundum actum distinguitur atque potentiam. Omnia quippe quae sunt, imaginantur et dicuntur, aut sunt per effectum, aut per possibilitatem, aut per absolutam quandam conditionem, id est actus et potentiae rationem altiori conditione quadam complectentem, primo modo ut existentia, se|cundo **420 G** ut quae esse possunt, tertio ut aeternae causae. Actus dupliciter significat: aut simpliciter et absolute, ut Deus actus dicitur; aut cum relatione ad subiectum, et ita actus est duplex: substantialis videlicet, sicut anima corpori animato et universaliter omnis forma materiae pri|mae; **a 6v M** et accidentalis, hicque actus adhuc est duplex: primus videlicet, sicut vita et potentia proxima sentiendi et intelligendi in animali, et secundus, sicut est exercitium, opus vitale, ipsum sentire et ipsum intelligere. Actus iuxta omnes istas significationes sumitur adhuc tripliciter: primo scilicet in effectu, sicut eclipsis lunae eo ipso quo deficit tempore; secundo in virtute causarum et principiorum, sicut eclipsis lunae et oppositio perpetuo esse dicitur; tertio secundum

10 et *om.* *G* 28 e 29 eclipsis *G*: Ecthlipsis *T*: Ectlipsis *M*
28 quo] quod *T*

rationem communem et absolutam, sicut dies et nox semper sunt, tum in principiis et causis secundum vicissitudines nunc in isto nunc in illo hemisphaerio, tum in effectu continuo atque perenni, in isto scilicet vel in altero hemisphaerio.

Potentia alia rationalis, alia irrationalis: prima, ut concipiendi, distinguendi, affirmandi, definiendi, discurrendi; secunda alia naturalis, et haec duplex (quaedam secundum primam dispositionem, quae est iuxta secundam speciem qualitatis; quaedam secundum consequentem dispositionem, quae est iuxta | primam qualitatis speciem), alia **a 7r *M*** mathematica, ut lineae divisibilitas, circuli tetragonismus. Omnis generis potentia dupliciter adhuc accipitur: uno pacto, ut distinguitur contra actum, ad quem se habet relative; alio, ut distinguitur contra impotentiam vel non potentiam, quibus contrarie vel privative vel contradictorie opponitur. Potentia primo modo quadruplex est: primo entitativa, videlicet qua aliquid potest esse, ut filius ex me quem nondum genui; secundo activa, qua aliquid potest facere, ut mea qua possum generare; tertio passiva, qua aliquid potest pati, moveri, agitari, alterari (et haec est | duplex, perfectiva scilicet, sicut potentia qua aliquid **421 *G*** se habet ad proprium accidens, ut sensus ad sensibilia, intellectus ad intelligibilia; et destructiva, sicut oculus ad caecitatem, tibia ad claudicationem, palea ad combustionem); quarto receptiva, et haec est quadruplex, prima velut materiae ad formam ut dictum est substantialem, secunda velut subiecti ad accidens, sicuti proxime est distinctum, tertia velut loci ad | locatum, quarta velut totius **a 7v *M*** (licet improprius) ad totum. Potentia iuxta modos istos om-

---

30 improprio *G*

nes duplex est: prima habitudinalis, scilicet quae est per inclinationem potentis ad possibile vel correspondentiam possibilis ad potens, subiecti ad susceptibile, capacis ad conceptibile; secunda obsequentialis (quam obedientialem appellant latini philosophantes), haecque est duplex: theologica scilicet (ex eorum nempe officina) qua aliquid, quod non est secundum potentiam physicam materiae neque secundum potentiam physicam formae neque secundum activam efficientis naturalis, non repugnat quo minus esse possit per divinam extra vel supra vel etiam contra naturalem facultatem, qualem aiunt potentiam, qua homo physice constitutus vel ficto quodam quod esse potest nutrimento vel extrinseca alia quadam sorte et beneficio valeat perpetuari; et physica altera partim et partim logica, qua hinc quidem in facti realitate, inde vero in veritate conceptionis possibilia dicuntur illa obiecta et illae proportiones, | quorum opposita aeque esse possunt et non esse; **a 8r *M*** unde enunciationes possibiles appellamus, quae hinc quidem a necessariis, inde vero ab impossibilibus distinguuntur.

Omnem item potentiam duplicem esse concipi potest altero videlicet horum modorum, definita scilicet et determinata, et indefinita et indeterminata. Determinata adhuc triplex: naturalis, nempe qualis est ignis ad calefaciendum tantum, non ad oppositum; fatalis, qualis est divinae voluntatis super omnia definientis; coactio|nis, qualis est sa- **422 *G*** gittae et lapidis potentis ferri sursum per impulsionem, et haec quodammodo potentia non repugnantia est. Indefinita vero et indeterminata adhuc duplex: voluntaria nempe, qua non magis determinatus sum ad modo legendum, quam non

---

1 habitudinales scilicet, quae *MT* 2 vel ⟨per⟩ correspondentiam *G* 5 latine (*cf. p. 6, 13*) *G* 27 repugnantiae *TMG*

legendum; et casualis seu fortuita, qua ambulando ita sum potens pede impingere, sicut et non impingere.

Omnis item potentia aut est absoluta ab actu, unde potentes ambulare dicuntur cum non ambulant; aut con|iuncta **a 8v *M*** cum actu, unde potentes ambulare dicuntur cum ambulant. In physicis quoque potentia circumeundi in astro est coniuncta cum circuitionis actu perpetuo, potentia vero eiusdem essendi in oriente interdum est coniuncta, ubi certum orientis punctum definimus. Et haec de prima entis divisione sufficienter adducta sunto etc.

SVMMA TERMINORVM METAPHYSICORVM 1 *M* 423 *G*

EX

IORDANI BRVNI NOLANI

ENTIS DESCENSV MANVSC. EXCERPTA

PER RAPHAELEM EGLINVM ICONIVM EDITA.

I. Svbstantia.

Substantia sumitur primo proprie pro eo quod est per se et non in alio, et haec aut est totum, aut pars, aut impartibile: totum ut hic homo, pars ut anima huius hominis vel corpus, impartibile ut Deus vel intelligentia, Daemon, seu anima separata. Secundo substantia sumitur pro eo quod est in genere substantiae, vel directe ut species et genera, vel lateraliter ut differentiae. Tertio propriissime substantia dicitur, secundum Aristotelem, quod est hoc aliquid in eo genere quod definitur non esse in subiecto neque dici de subiecto, ut Socrates. Ultimo dicitur substantia ipsa categoria seu generalissimum, quod distinguitur contra alia generalissima, quantitatem, qualitatem etc. Est et alia sub|stantiae significatio pro essentia rei: primo, ut substan- 2 *M*
tiam, id est essentiam albedinis, nigredinis, scientiae significat (et hoc pacto substantia vagatur per omnia praedica-

---

1 metaphisicorum *T* 1 excepta *G*

menta, sicut et definitio describit omnia, et rei uniuscuiusque substantiam dicitur significare); secundo significat rei momentum, finem et praecipuas rei circumstantias, secundum quam significationem consuevimus dicere: substantia nostrae salutis, conservationis, istius vel illius negotii, est haec vel illa.

II. Veritas.

Veritas est duplex: primo absoluta, quae convertitur cum entitate, bonitate, unitate, quae neque contracta est|neque contrahibilis; secundo contrahibilis, nempe ipsa **424 G** essentia, qua aliquid verum dicitur, et cuius privatione aliquid dicitur falsum, et negatione non verum. Et hoc pacto dicitur tripliciter: primo simpliciter, ut aliquid est verum, quia est ipsum quod apparet, ut obiectum sensus, vel primae operationis intellectus, ut verus flos, vera conceptio; secundo complexe, ut verum dicitur aliquid quod est sub affirmatione vel negatione; tertio discursive, ut vera dicitur scientia et demonstratio. Potest adiici quarta significatio, qua verum dicitur immutabile et necessarium, unde verum tantum unum et ens a pluribus philosophantibus est ap|pellatum, et omnia mutabilia vanum dicuntur sive va- **3 *M*** nitas, de quibus neque ad momentum licet tanquam de omnino eisdem loco pronunciare, unde non liceat bis eundem fluvium ingredi et bis eundem hominem dicere. Istis significationibus adde (ni velis ad eas reducere) significationem, qua verum appellatur illud quod purum est, ut verum aurum, ubi nihil est mixtum; item verum quod verax est, ut vera scriptura; item quod ratum est et certum.

---

5 salutis consoruationis, istius *T*: salutis, conservationis istius *MG*
23 oijsdem *T*

III. Bonitas.

Bonitas primo est duplex, moralis et naturalis. Naturalis quidem, qua aliquid est ut esse debet secundum suum genus vel speciem vel numerum, ut bonum animal, bonus homo, bonus Iudaeus. Moralis, qua aliquid bonum est secundum affectiones intellectus et voluntatis et praxis secundum intellectum et voluntatem, ut bonus dicitur sciens, sapiens, iustus, castus et qui iuste et caste agit.

IV. Vnitas.

Unitas est praedicatum, quod cum veritate et bonitate participat. Dicitur enim unum, quod est purum, sincerum, simplex, ut unum aurum, quod est verum aurum, et cui non est aliquid unitum coniunctumve. Rursum dicitur unum, quod est principium | numeri, et || secundum hanc **4 *M* 425 *G*** significationem invenitur in genere quantitatis reductive, nempe ut principium illius. Rursum dicitur unum quasi unitum, ut omnes Christiani sunt unum in Christo, id est voto, intentione, concordia. Rursum unum significat idem, ut Deus et Deitas sunt unum, id est idem, quia in eo non differt esse et essentia. Unum vero iuxta has praecipuas significationes distribuitur ad significandum collective, ut acervus unus, seges et sylva una; distributive, ut numerus unus significat omnes species numeri; item seriatim, ut mundus unus significat ordinem multarum rerum in unum conspirantium, quatenus et multi corpus unum dicuntur.

---

6 intellectus, [et] voluntatis *G* voluntatis, et praxis secundum *MT* 11 syncerum *MT* 23 feriatim *G*

V. Principivm.

Principium dicitur vel a quo, ut efficiens est principium; vel ex quo, ut materia est principium; vel de quo, sicut prooemium est principium orationis; vel unde, sicut punctus est principium unde fluit linea, fons principium fluminis; super quo, sicut radix est principium arboris et fundamentum domus; quo, sicut iactio fundamenti seu effossio est principium quo domum ordimur. Rursum principium est multiplex; est enim principium naturale, sicut natura et quibus natura principiat; est principium artificiale, sicut ars et qui|bus seu ex quibus ars **5 M** exorditur, et hoc iuxta species artium distinguitur, sicut in contemplativis principium scientiae est propositio immediata, quae est per se nota.

VI. Cavssa.

Caussa differt a principio, quia omnis caussa est principium, non autem omne principium est caussa; terminus enim viae et punctus unde incipit linea, principia sunt viae et principia sunt lineae, sed non sunt caussa. Caussa primo distinguitur in per se et per accidens. Caussa per se est quadruplex famose: materia, forma, efficiens, finis, quibus addidit Plato locum et tempus; et dicuntur caussae ex qua, secundum | quam seu cuiusmodi, a qua, prop- **426 G** ter quam, ubi et quando.

Caussa materialis iuxta diversas materiae significationes est diversa. Est enim materia intelligibilis vel sensi-

---

2. 4 vel (*quattro volte*) *G dall' Errata-Corrige di M*: ut *MT* 4 proömium *T*: proemium *M* 5 *e* 18 punctum *G* 6 *e* 7 <vel> super quo *e* <vel> quo *G*

bilis, secundum rem vel secundum similitudinem. Item forma alia est idealis, alia exemplaris, quae sunt extra rem vel ante rem. Alia est essentialis vel accidentalis, quae est vel pars rei, vel affectio illius, intus vel circa, ut figura. Alia est a re, sicut forma hominis, quae est in sensu visus vel imaginatione. Efficiens alius est praecipuus, alius est ministerialis, sicut alibi efficientem distinguimus iuxta suas species, ad quod reducitur instrumentum, media, | viae, **6 M** consilia, remotiones impedimentorum. Finis alius mediatus, seu ut organum seu medius, alius est ut extremum seu ultimum; finis medius est digestio respectu ambulationis, finis ultimus est ut sanitas respectu ambulationis et digestionis. Locus sumitur uno modo proprie, prout est species quantitatis; alio modo, ut significat omnem rationem qua aliquid dicitur esse alicubi, et est genus generalissimum quod dicitur ubi. Tempus similiter dupliciter, ut species quantitatis et ut genus generalissimum quod dicitur quando. Ad has caussas per se reducitur fatum, necessitas, destinatio, quae voluntatem divinam vel naturam immutabilem synonyme significant.

Caussae per accidens sunt voluntas rationalis vel sensitiva et omnis libera, quae versatur circa contingentia et possibilia aliter se habere; item quae non ex directo et secundum se aliquid faciunt, ut medicus est caussa domus, non quatenus medicus, sed quatenus architectus vel aedificator. Item fortuna, quae dicitur caussa eorum, quae accidunt raro et praeter intentionem his quae agunt cum intentione. Item casus, quae est caussa per accidens et raro in his quae agunt praeter intentionem. Casu enim transeuntem lapis decidens oppressit, fortuna sepulchrum effo-

---

2 idaealis *T* 6 ⟨in⟩ imaginatione *G* 8 media viae *G* 14 ut] prout *G* 29 his] bis *T*

7 M
diens invenit thesau|rum. Caussarum aliae sunt directae, 427 G aliae indirectae: primo modo, ut nauta est caussa salutis navis sua praesentia; secundo modo, ut nauta est caussa summersionis propter absentiam.

Caussarum item aliae sunt actu, aliae potentia: primo modo, ut illae quae sunt coaeternae vel contemporaneae vel consistentes effectibus, ut materia et forma sunt caussa compositi, et animae assistentia est caussa animalis; secundo modo, ut aedificator est caussa domus, quem domo existente non opus est esse vel adesse. Alii ita distinguunt: caussarum quaedam in fieri, quaedam in facto, id est quaedam rei faciendae adsunt et actioni tantum, quaedam etiam actis, et istae dicuntur caussae essendi et conservandi, si sunt efficientes, ut Deus qui mundum creavit et conservat.

VII. Elementvm.

Elementum definitur principium, ex quo aliquid est primo materialiter, et in quod ultimo resolvitur. Differt a principio et caussa, quia aliquid potest esse principium ex quo, tamen non elementum, quia elementum est pars rei perpetuo, principium vero non. Item caussa potest esse absoluta ab effectu, sicut quidam efficientes, elementa vero non. Ideo omne elementum est caussa et principium, non e contra. Duae autem sunt conditiones, quae ambae in resolutionis ratione et compositionis fundantur, in primum et ultimum, ex | quo et in quod. Ideo maxime videtur 8 M habere rationem caussae materialis et partis. Huius generis sunt literae in scriptura, puncta in linea, dictiones in oratione logica, atomi in corporibus compositis, et tan-

18 causa *G* 19 quo tamen *MT* non elementum *G dall'Err.-Corr. di M*: non elemento *MT* 25 ex quo, et quo, et in quod *per errore G*

dem omne individuum incompositum, quod non dividitur in aliud et in quod omnia resolubilia conquiescunt. Individuum autem hoc aut est secundum quantitatem, sicut unitas in numero, punctus in magnitudine; aut secundum qualitatem, sicut minimus calor, minimus sapor, minimum sensibile; aut secundum substantiam, sicut quod non est **428 G** divisibile in aliam speciem, sicut aqua simplex, quae non dividitur in alias partes essentiales, licet in partes integrales seu quantitativas dividatur. Et ita dicitur elementum in via physicorum, in via vero logicorum, nempe Peripateticorum, divisibilis est in suam materiam et formam, unde materia intelligitur rationem habere elementi. Elementum quoque duplex est, simpliciter videlicet et in genere. Primo modo elementum est illud, quo nulla ratione est prius; secundo modo, quo nihil est prius in certo ordine; et hoc secundo modo aliquid est elementum respectu unius generis, quod respectu alterius generis est elementatum; respectu unius generis est principium, respectu alterius generis est principiatum, sicut dictio appellatur terminus in logica, quia est in quam ultimo resolvit logicus, ideoque elementum in ordine illo, in foro vero seu ordine grammatico dictio resolvitur in syllabas, syllabae in literas, unde literae relinquuntur elementum, ex quo primo componit et in quod ultimum dividit ille. Sed literae apud **9 M** geometram, cum sint linearum tractus, adhuc intelliguntur compositae ex punctis, qui sunt minimae partes. Ideo quod grammatico est elementum, geometrae est elementatum. Nunc tandem, quia punctum non licet resolvere per artem ullam in alias partes priores, invenietur ipsum elementum simpliciter esse.

---

4 punctum *G* 10 *sq.* Peripatheticorum *MT* 18 principium, ⟨quod⟩ respectu *G* 26 qui] quae *G*

VIII. Materia.

Materia primo duplex est. Prima et absoluta, seu prima simpliciter, quae definitur possibilitas essendi, et hoc pacto est in omnibus rebus dependentibus ab alio, sive aeternae sint sive temporaneae. Qua ratione solus Deus est immaterialis et simplex, nempe actus purus. Secunda contracta et in genere rerum naturalium, et haec in suo ordine duplex adhuc est: prima, quae | est **429 G** subiectum formarum substantialium, quae nunc recipit formam videlicet nutrimenti, nunc seminis, nunc embryonis, nunc hominis; et materia non prima, quae improprie materia dicitur, quae est subiectum formarum accidentalium. Et haec est duplex: alia quae respicit formam propriam et connaturalem, sicut mel est subiectum suae dulcedinis et coloris, imo magis aqua subiectum suae humiditatis; alia quae respicit formam appropriabilem et adventitiam, sicut lignum est | subiectum statuae Mercurii, imaginis et formae **10 *M*** Iovis vel vasis. Et hanc differentiam adducit Themistius in Paraphrasi I. Physic., ut materiam appellemus primum subiectum, subiectum vero appellemus compositum respectu accidentium suorum. Materia item distinguitur in ex qua, sicut ex lapidibus fit domus; materia in qua, sicut in marmore fit Mercurius, ubi insculpitur vel pingitur, vel in qua est pictura vel sculptura; materia circa quam est, sicut lignum respectu fabri lignarii, ferrum ferrarii, aurum aurifabri; item mensurabile respectu geometrae, numerabile respectu arithmetici, et omnino omne artis subiectum respectu artificis. Quae proprius appellatur obiectum, quod

---

9 *sq.* quae recipit formam, videlicet nunc nutrimenti *G* 10 Embrionis *MT* 28 proprius] magis proprie *G*

dicitur materia circa quam, respectu operariorum; dicitur vero materia de qua, respectu considerantium. Ita distinguitur subiectum, quod debet esse sub eodem titulo cum materia, in subiectum compositionis, sicut materia et pars rei; secundo subiectum inhaesionis, sicut compositum cui inhaerent accidentia extrinseca; tertio subiectum inexistentiae, sicut cui inhaerent qualitates intrinsecae, habitus, dispositiones, naturales potentiae vel impotentiae; quarto subiectum praedicationis, sicut homo est subiectum respectu animalis, Socrates respectu hominis; quinto subiectum apprehensionis, ad quod videlicet | refer- **11 *M***
tur potentia cognoscitiva vel appetitiva, et hoc proprie dicitur obiectum, sicut color respectu visus, dulce respectu gustus, scientia respectu intellectus, | bonum respectu vo- **430 *G***
luntatis et similia, ubi nota differentiam inter subiectum et obiectum. Subiectum enim visus est oculus, auditus est auris; obiectum vero visus est visibile, auditus vero audibile seu sonus; subiectum voluntatis est anima, obiectum vero est bonum seu appetibile; itaque obiectum est in genere subiecti tanquam materia circa quam, differt vero a subiecto, quod est proprie materia in qua.

IX. Qvantitas.

Quantitas iuxta omnes res et rerum rationes potest examinari. Est enim quantitas in substantia, sicut comparatio et superlatio qua unum melius digniusve dicitur alio secundum naturam; in qualitate pulchrius et turpius, intensius, remissius; in actione efficacius, inefficacius; et similiter in reliquis omnibus praedicamentis et speciebus eo-

4 ⟨primo⟩ in subiectum *G*   8 habitus dispositiones *MTG*   17 est *G dall'Err. Corr. di M*: et *MT*

rum atque differentiis quantitatem licet inspicere, unde vulgatum illud: omnia in numero, mensura et momento. Sicut ergo res distingui dicuntur, sicut et numeri, ita et numeros omnia licet appellare, et per consequens quantitatem in omni genere et generis partibus atque circumstantiis possumus considerare. Huius tres sunt primae differentiae: numerus, qui dicitur quantitas discreta, et cuius partes | non copulantur ad terminum communem; magnitu- **12 *M***
do, quae dicitur quantitas continua, cuius partes copulantur ad unum terminum communem; momentum, quod neque discreta neque continua quantitas est, quod etiam indivisibile potest esse et sine partibus. Et hoc momentum est ut in substantia, quo Deus dicitur infinitus, Dii naturae finitae; item in qualitate, quo efficacia et potentia una vel in uno dicitur maior alia vel in alio. Et hoc proprie modo quantitas est in omnibus rebus.

Quantitatis vero continuae species primae dicuntur longitudo, latitudo et profunditas, sub quibus materialiter sunt linea quae prima dimensione constat, super|ficies **431 *G***
quae duabus primis, corpus quod omnibus dimensionibus constat. Non enim possunt esse plures tribus, quia non plures quam tres lineae possunt in eodem puncto ad diametros rectos se intersecare. Linea et superficies dupliciter possunt accipi: uno pacto ut termini et absolutae dimensiones, et hoc pacto sunt in genere quantitatis; alio modo ut partes quaedam et subiecta dimensionum, quae proprie sunt longa et lata, et mensurantur potius quam mensurant, et sic sunt in genere substantiae. Similiter corpus vel est subiectum trium dimensionum, nempe longum, latum et profundum, et ita est in genere substantiae; vel significat ipsas tres dimensiones absolute, et ita est in hoc genere quantitatis. Addunt his speciebus locum et tempus,

quae similiter distinguuntur, ut terminant et ut per se capiuntur. Locus enim pro cor|pore continente significat sub- **13 *M*** stantiam, sicut ipsum corpus quatenus lagenam dicimus locum aquae; quatenus vero significat superficiem corporis continentis, cum vulgo Peripateticorum est quoddam accidens in genere quantitatis; quatenus significat spatium, in quo sibi corpora succedunt, ut melius philosophantes definiunt, sic non est substantia, quia non est subiectum, neque accidens, quia non est in subiecto, sed locus. Tempus quoque, ut dicitur mensura motus, accidens quoddam est in genere quantitatis; ut vero est aliquid absolutum a motu et quiete et durationem tantum significat, in nullo subiecto proprio conspicitur et non habet rationem accidentis nisi secundum potentiam. Species quantitatis discretae dicuntur numerus et oratio. Oratio vero alia est mentalis, alia vocalis, alia scripta. Prima magis est in genere qualitatis, quatenus est secundum dispositionem vel habitum in mente; quatenus vero numeratur et profertur distinctis conceptibus iuxta suarum partium distinctionem per certa temporis intervalla, tunc ut mensuratur tempore, et non continuis partibus, sed dis|cretis (ceu discretae **432 *G*** sunt dictiones et syllabae) profertur, tum concepta tum dicta est quantitas discreta. Dimensiones quoque characterum, quibus distinguuntur dictiones a dictionibus et syllabae a syllabis non in una continuitate positis, faciunt etiam scriptam orationem esse quantitatem discretam. Numerus quadruplex est: primo res, ut dictum est, quod omnis species per se numerus quidam est, sicut quadam differentia et termino definitur; secun|do mens seu ratio, qua nume- **14 *M*** ramus vel metimur; tertio ipsum quod numeratur, vel nu-

5 Peripatheticorum *MT* 6 spacium *T* 10 mensura motus *T*: mensura modus *M*: mensurae modus *G* 29 difinitur *G*

merus hominum vel boum; quarto ipsa species quantitatis, ut denarium, quinarium, senarium.

Quantitatis differentiae primae sunt finitum et infinitum, ubi animadvertendum est infinitum dici secundum plures species, ut magnitudine seu dimensione, multitudine seu numero, virtute seu efficacia, momento seu essentia. Infinitum item dicitur dupliciter: uno pacto quasi indefinitum, sicut infinitum dicimus numerum rerum quae non possunt numerari, etiamsi non sint innumerae, sicut etiam Arithmetici supponunt dicentes: sit numerus infinitus, id est quantuslibet, et geometrae: sit linea infinita, id est quantalibet et in qua quotcunque et quotlibet possis accipere partes, ubi perperam intelligerent infinitam, id est simpliciter et sine fine, cuius nullus est usus et quam nullam esse autumant. Infinitum rursum duplex est: uno pacto incompletum, ut distinguitur contra finem qui est perfectio, dicitur infinitum quasi non finitum, non consummatum completumve; finitum vero quasi completum, ut finitum dicimus librum vel domum, quae omnibus suis numeris et partibus constat. Rursum infinitum sumitur dupliciter: negative, secundum quam rationem Deum dicimus infinitum, quia finit omnia et nihil finit ipsum, continet omnia et nihil continet ipsum, et non est aptum finiri; alio pacto sumitur privative, sicut infinitum dicitur quod requirit finem quem non habet. Primo modo | dicitur infinitum quasi sine fine, **433 *G***
secundo infinitum quasi carens fine.

X. Qualitas. **15 *M***

Qualitas primo sumitur dupliciter: vel ut significat quidlibet praeter substantiam, secundum quam significa-

17 diciturque *G* 23 aptum *MT*: aptus *G*

tionem Aristoteles in capite De substantia dicit omnia significare aut substantiam aut quale quid, id est modum et conditionem quae est circa substantiam vel in substantia; secundo distinguitur secundum arctiorem significationem in latitudine praedicamenti unius, et ita definitur qualitas esse secundum quam quales esse dicimur, sicut quantitas est secundum quam quanti, actio secundum quam agentes. Et huius quatuor adducuntur species. Prima est habitus vel dispositio, nempe affectio quaedam interior vel exterior, quae levius vel gravius, fortius vel lentius, separabilius vel inseparabilius, perfectius vel imperfectius, brevius vel diuturnius haeret subiecto, ubi dispositio via est ad habitum. Omnis item habitus nomine dispositionis insignitur, non e contra; per habitum enim affecti vel dispositi esse dicimur, non autem e contra per dispositionem habituati, sed habiles. Secunda species est naturalis potentia vel impotentia, nempe qualitas, qua naturaliter ad aliquid agendum vel ferendum sumus idonei; et dicitur naturalis potentia, qua facile agimus, movemus, et difficile patimur et movemur, sicut incolumitas, nervorum forti|tu- **16 M**
do, agilitas, pugillaris facultas. Naturalis impotentia e contra est qualitas, qua naturaliter seu ex principiis naturalibus sumus affecti ad facile patiendum et difficile agendum et movendum, sicut imbecillitas, valetudinarietas, debilitas, lassitas et similia, quae a nativitate et a complexione connata sortiti sumus. Ad hoc genus referuntur hebetudo, crassitudo ingenii, indocilitas, sicut ad contrarium, acumen, strenuitas, alacritas. | Tertia species qualitatis est **434 G**
passio et passibilis qualitas, ubi passibilis dicitur omnis affectio, quae est secundum sensum vel a sensu, sicut tristitia, pallor item qui ex tristitia proficiscitur, verecundia et rubedo quae ex verecundia, similiter et omnes affectio-

nes, quae ex sensus turbatione vel laesione proveniunt. Ad hoc genus referunt dulcedinem, amaritudinem, austeritatem, quae passionem caussant; item invidiam, formidinem, spem et similia, quae a sensu et secundum sensum fiunt. Passibiles qualitates dicuntur dupliciter: vel quia sensum faciunt et movent, ut fulgur, lux, strepitus, rumor; vel quia a sensus motione fiunt, ut surditas ex multo strepitu, disgregatio visus ex multa luce. Passiones vero dicuntur, quae non secundum sensum fiunt, et huiusmodi affectiones, quae communiter in his quae sentiunt et quae non sentiunt inveniuntur. Quarta species seu diffe|ren- **17 *M***
tia est sicut forma et circumstans figura: forma quidem, qua aliquid dicitur pulchrum, turpe, humanum, leoninum; figura, qua dicitur quadrangulum, triangulum, pyramidale etc., licet interdum istae significationes confundantur. Forma autem est duplex: intrinseca, et hoc pacto, ut est facile vel difficile mobilis, pertinet ad primam speciem qualitatis, et est forma superveniens composito; si vero est forma intrinseca constituens compositum, quae videlicet immediate inhaeret materiae, tunc est in genere substantiae, quandoquidem substantia triplex est, quaedam ut materia, quaedam ut forma, quaedam ut compositum. Forma autem mediate adveniens materiae, id est quae consequitur formam substantialem, rursum vel est a natura, id est concomitans formam substantialem (et tunc vel est consequens illam necessario, cum appellatur proprium seu proprietas, si soli speciei convenit; vel concomitatur formam substantialem contingenter, cum potentia ad agendum vel patiendum aut impotentia ad utrumque, et tunc appellatur naturalis potentia vel impotentia, nempe in se-

16 *leggi* extrinseca

cunda | specie qualitatis); vel consequitur naturam, nempe 435 G usu, studio et exercitatione superadvenit, et tunc vel leviter inhaeret et mobiliter et habet nomen dispositionis, vel graviter et stabiliter et habet nomen habitus; et ad hoc genus | referuntur artes, scientiae et omnes habitus, qui sunt 18 *M* secundum sensum et intellectum; item virtutes et vitia et omnes habitus, qui sunt secundum voluntatem sensitivam, ut irascibilitas, vel rationalem. Succedunt formae extrinsecae seu exteriores, quae sunt in superficie compositi et referuntur ad sensum visus, tanquam obiecta ad propriam potentiam; et istae constituunt quartam speciem qualitatis, non per conditionem albi et nigri et aliarum differentiarum, quae sunt inter haec extrema, sed per conditionem recti et curvi et alias differentias, quae sunt secundum figuram et formam, ut dictum est, exteriores.

XI. Potentia.

Potentiam superius distinximus, ubi ens distinguebamus et in propria significata distribuebamus atque suae analogiae modos, quando potentiam in activam et passivam; nunc vero iuxta reliqua praedicata, ut aliquid habeat proprium in hac secunda pertractatione, deducentes eundem terminum, dicimus potentiam aliam esse ad substantiam seu substantialem, sicut materiae primae ad susceptionem formae, vel sicut embryonis ab susceptionem formae animalis; alia est ad accidens seu accidentalis. Et haec est aut in subiecto, ut est potentia maioris magnitudinis, seu adolescendi et nutriendi et generandi sibi simile in compositis naturalibus et viventibus; aut est circa subiectum,

---

4 et (*prima di* ad) *T*: *om. MG* 5 sunt *M* 21 Embrionis *MT*

sicut po|tentia ad agendum, movendum, aedificandum, ad **19 *M*** generandum, dominandum, dandum, accipiendum, sedendum et standum, iuxta omnium praedicamentorum genera; quandoquidem, ut supra dictum est, omnia genera dividuntur secundum potentiam et actum, et idcirco actus et potentia sunt | differentiae entis ultra hoc quod nunc su- **436 *G*** muntur ut species praedicamentorum. Et haec potentia distinguitur in absolutam seu naturalem, qua aliquid agit quantum potest, sicut omnia naturalia agunt secundum omnes numeros suae possibilitatis, ut ignis urit quantum potest, lapis ponderat quantum potest, nix quantum potest frigefacit; alia est potentia ordinata seu limitata, qua aliqua non agunt quantum possunt, sed quantum volunt, et huiusmodi sunt potentia ex actu voluntatis et arbitrii, quae pro modulo propositi finis et capacitatis subiecti limitant potentiae actum intensius vel remissius expendendo, sicut faber ferrarius non percutit ferrum totis viribus perpetuo.

XII. Actvs.

Actus dupliciter sumitur: uno pacto relative seu respective, nempe ut distinguitur contra potentiam, et ita (sicut relationem natura exigit) eodem pacto dividitur sicut et potentia, et tot modis dicitur quot modis et potentia; alio modo sumitur actus absolute, et ita distinctus est supra in primum et secundum. Rursum actus hoc pacto absolute sumptus di|stinguitur vulgo in physicum, meta- **20 *M*** physicum et mathematicum, sicut et potentia. Actus physicus est qui circa materiam vel in materia est, qui limitatur iuxta potentiae limitationem, unde nulla dicitur potentia cuius nullus est actus. Actus vero metaphysicus est idem

quod potentia, quia in aeternis idem est esse et posse, sicut Deum actu intelligere et potentia intelligere est idem, quia haec duo non sunt relativa, sed sunt synonyma potius, et distinguuntur non ex parte rei, sed nostri conceptus. Actus vero mathematicus universaliter dictus, etsi pendeat a potentia, non tamen illi perpetuo respondet; ponitur enim vulgo potentia mathematica sine suo actu, sicut linea est potentia, id est divisibilis, infinitae partes, id est in infinitas partes, etsi nunquam veniat divisa. Ad hoc | genus **437 G** refertur potentia logica, sicut phoenix est praedicabile de pluribus apud eos, tellus praedicabile est de pluribus, sol, luna, quia sunt tot species; non tamen praedicantur. Absurdum enim inquiunt esse potentiam sine actu physicam vel metaphysicam; minime vero absurda est potentia logica vel mathematica universaliter dicta.

XIII. Perfectio.

Perfectum dicitur dupliciter: uno pacto communiter quasi perfecte factum, et ita non dicitur nisi | in his quae **21 M** fiunt (neque enim dicuntur perfecta, quae non sunt facta, unde perfectum dicitur quasi denominative a verbo facio); proprius vero perfectum dicitur primitive, id est non per supini modum significat, sed est nomen per se, non a verbo desumptum, sed potius a quo verbum desumi possit, unde perficere quasi ad perfecti similitudinem facere, unde perficio verbum est a perfecto, non autem perfectum a perficio verbo. Perfectum vero primitive dupliciter sumitur:

---

8 *sq.* potentia, id est, diuisibilis, infinitae partes, id est, in infinitas partes etsi *MT*: potentia infinito divisibilis, id est, in infinitas partes, etsi *senza giusto motivo G* 11 ⟨item⟩ sol *G* 21 proprius] magis proprie *G* primative *M*

uno pacto simpliciter, ut nihil est perfectum nisi Deus, qui est omnia et cui nihil simpliciter deest; alio pacto dicitur perfectum in suo genere, et hoc pacto omnia possunt dici perfecta et valde bona, prout constant numeris suae speciei communicantibus, sicut perfectus serpens, latro etc. Et Cato est perfectus, id est perfecte probus, quia habet omnem probitatem, cuius capax esse potest ingenium humanum, vel secundum illam complexionem.

XIV. Cognitio.

Cognitio vulgo secundum multas significationes accipitur. Interdum enim significat velle vel amare, unde eos nescire dicimus vel non nosse, quos non amamus. Interdum etiam cognitio significat appulsum rei, ut sol dicitur cognoscere occidentem. Proprie vero cognitio sumitur pro potentia apprehensiva obiectorum cognosci|bilium, et haec **438 G** est secundum plures species. Est enim cognitio sensitiva, et haec duplex: exterior illa quintuplex et interior, et haec est quadruplex, iuxta quatuor species, quae sunt: sensus | communis, cuius est recipere et unire et comparare **22 *M*** sensum unum externum cum altero; phantasia, cuius est componere et dividere species sensibiles, ut facere Centaurum, Chimaeram, Sirenem et montem aureum et his similia; tertia cogitativa, quae de specie sensibili apprehendit aliquid insensibile, ut viso serpente homo apprehendit inimicitiam, formidinem mortis, et ovis viso lupo formidinem mortis et inimicitiam apprehendit naturaliter, quae potentia in brutis dicitur aestimativa. Sequitur memoria, quae est potentia retentiva seu conservativa earum specierum,

---

4 constat *M*   17 illa (⟨quae⟩ quintuplex) *G*

quas sensus interiores vel exteriores apprehenderunt. Sequitur ratio, quae propria est homini, nempe potentia, qua ex his quae sensu sunt apprehensa et retenta aliquid ulterius insensibile seu supra sensus infertur et concluditur, ut ex particularibus infertur universale, et ex quibusdam antecedentibus quaedam consequentia; et haec cognitio dicitur discursus, quasi decursus, quatenus intellectus ex uno noto decurrit ad aliud noscendum, item argumentatio, quasi mentem arguens actio. Subinde sequitur intellectus, qui ea quae ratio discurrendo et argumentando et, ut proprie dicam, ratiocinando et decurrendo concipit, ipse simplici quodam intuitu recipit et habet, sicut in aureo est pretium multorum nummorum, moneta in multis individuis dispersa in uno excellentius, preciosius et perfectius implicata est seu contenta; et dicitur intellectio, quasi interna lectio, atque si speculum vivum quoddam sit, tum videns, tum in se ipso habens visibilia, quibus ob|iicitur vel quae **23 *M*** illi obiiciuntur; et hic est finis ratiocinii, sicut possessio est finis inquisitionis et inventionis. Sequitur mens superior intellectu et omni cognitione, quae simplici intuitu absque ullo discursu praecedente vel concomitante vel | numero **439 *G*** vel distractione omnia comprehendit et proportionatur speculo tum vivo tum pleno, quod idem est lux, speculum et omnes figurae, quas sine distractione videat et sine temporali seu vicissitudinali successione, sicut si caput totus esset oculus, et undique visus uno actu videret superiora, inferiora, anteriora et posteriora, et, cum sit individuum, interiora et exteriora. Sicut et mens divina uno actu simplicissimo in se contemplatur omnia simul sine successione, id est absque differentia praeteriti, praesentis et fu-

---

12 aureo *T*: auro *MG*   16 lectio ac speculum *G*   18 hic *T*

turi; omnia quippe illi sunt praesentia, et nihil cognoscit per peregrinam, sed per propriam speciem omnia; non enim cognoscit animal rationale a figura externa, neque bonum ab effectu, neque lucem ab irradiatione et splendore, neque ignem a caliditate et calore, sed omnia in sua substantia.

Cognitionum alia est particularis, qualis est omnis cognitio sensitiva; alia est universalis, qualis est rationalis et omnis intellectiva. Rursum alia est intuitiva, id est quae rem praesentem in se ipsa respicit, ut est sensus circa praesens obiectum, mens circa se ipsam, intellectus circa proprium obiectum, sicut oculus circa solem; alia est abstractiva, sicut imaginatio de rebus absentibus, et cognitio omnis de re non per se ipsam et speciem in ipsa, sed per aliud vel per speciem ab ipsa promanan|tem. Rursum cognitio **24 *M*** alia est attactiva, alia apprehensiva, alia comprehensiva: prima, qua rem ex superficie vel externis cognoscimus, quasi ipsam rem tangentes (tactus enim est quo extremo extremum adhaeret, altero in alterutrum non profundante); secunda, qua cognitio adaequat cognitum vel etiam adaequatur a cognito, sicut visibile adaequat visivam potentiam et adaequatur a visiva potentia (non enim plus possumus videre quam possit videri a nobis, et e converso); comprehensiva cognitio est, qua potentia cognoscitiva excedit cognoscibile, sicut est sensus respectu visibilis; plus enim comprehendit et ad plura | se extendit sensus quam **440 *G*** visibile. Ubi vero passive comprehensio est ex parte subiecti, ut scilicet cognoscibile excedat cognitionem, sicut lux excellens visum, ibi dicimus cognitionem esse attactivam iuxta primum membrum huius divisionis.

Rursum cognitionum alia est organica seu instrumentalis, alia est principalis. Organica alia est ad praxim, alia

vero ad theoriam. Practica alia versatur circa corpus nutriendum, medicandum, ornandum, locandum et defendendum, quarum organicae sunt constitutivae generalium instrumentorum, sicut est malleus, culter, tenaculae vel forfices. Theorica organica alia sunt ad verba et voces regulandas, ut grammatica, rhetorica, poëtica; alia etiam ad conceptus, ut logica proprie dicta. Et haec organa ita se habent ad scientias speculativas, sicut praedicta ad arteis mechanicas; et sicut mechanici ante sua opera pa|rant haec in- **25 M** strumenta, ita et contemplativis logica universaliter dicta ad omnium methodorum principia viam sternens et habens est praecapienda; quia impossibile est simul quaerere scientiam et modum sciendi. Principalium vero cognitionum contemplativarum (hic enim mechanicas praetermittimus), quae omnes ad animi seu hominis interioris perfectionem conducunt et iuxta tres potentias animae rationalis in tres classes distribuuntur. Quaedam enim regulant intellectum, quaedam voluntatem, quaedam memoriam. Regulativae intellectus sunt tres, physica, mathematica et metaphysica: prima quae considerat de rebus materialibus concernendo materiam, secunda de rebus materialibus abstrahendo a materia, tertia de rebus immaterialibus. Regulativae voluntatis sunt praecipuae scientiae morales, quae in tres species distribuuntur: in ethicam, quibus regulamur in nobismetipsis, et ordinamur ad omnia tum secundum externa, tum secundum interna; oeconomica, qua nostros nobis finitimos sanguine et habitatione coniunctos mode-

---

3 quae organica est constitutiva *G* 4 tenacula, vel forcipes *G* 8 arteis *MT*: artes *G* 15 quae *è cancellato da G: noi preferiremmo alla l. 17* distribuuntur, quaedam [enim] 21 in ethicam, quibus] *sic* 26 ‹in› oeconomicam *e a p. 35, 1 similmente* ‹in› politicam seu civilem ‹speciem› *G: ma l' incongruenza non è certo dovuta ad errore di scrittura o di stampa* 27 finitimos *om. MG*

ramur; politica seu civilis, | qua rempublicam magnam **441 *G*** sive parvam administrando regulate et canonice vel regulamur vel regulare docemus vel ut sit regulanda cognoscimus. His membris, si lubet, addatur quartum, puta de regulativis tum actionis tum voluntatis, ut sunt leges et legum cognitio, quae est quadruplex: naturalis, quae est omnium natura constitutorum, vel saltem omnis animantium generis, qualis est ut se corpusque suum tueantur; gentium, quae est communis omnibus ho|minibus; ci- **26 *M*** vilis, quae est communis toti uni imperio vel reipublicae; divina, quae communis est illis quibus est revelata.

XV. Volvntas.

Voluntas duplex est, naturalis et rationalis communiter dicta. Voluntas naturalis est appulsus cuiusque rei secundum suam naturam, sicut ignis ad suam sphaeram, aquae ad oceanum suum, et omnium ad suam sphaeram et locum suae conservationis. Sic lapis dicitur appetere deorsum, planta appetere solem. Voluntas vero rationalis seu sensitiva vel intellectiva est quae praevio aliquo sensu, ratione vel intellectu consequitur, unde valet nihil appeti nisi cognitum. Voluntas rursum alia regulata, alia irregulata. Regulata est quae ratione vel intellectu duce incedit, irregulata quae furore, impeto vel instigatione consequitur agente. Regulata duplex est, antecedens vel consequens. Voluntas antecedens est, quae primarie et per se aliquid fiendum definit; consequens vero, quae ex aliquo facto vel successu definitur. Primo modo voluntas legislatoris et principis est ordinatione et exequutione iustitiae totum populum conservare,

---

17 Lapsis (*ma* lapis *nell' Errata-Corrige*) *M* 18 rationalis, seu *G* sensitiva, vel *MTG* 19 ratione, vel *G*

secundo propter successus et praevaricationes aliquos perdere. Primum genus voluntatis, quod est generale, indicatorium, edictorium, proprius a nobis appellatur voluntas signi, quae non definit magis ad amorem istius vel illius; secundum genus appellatur beneplaciti.

XVI. Relatio. 27 M 442 G

Relatio alia est aequiparantiae seu aequalitatis, alia inaequalitatis. Prima est inter paria, sicut amici cum amico, socii cum consocio, paris cum compare et fratris cum confratre. Inaequalitatis vero relativa sunt, vel ut superiorum ad inferiora, ut domini ad servum, magistri ad discipulum, patris ad filium; vel ut inferiorum ad superiora, ut minoris ad maius, dimidii ad totum, pauci ad multum.

Rursum relativa alia dicunt habitudinem naturalem et rationalem, sicut relationem dicuntur habere locata ad suum locum, partes ad suum totum, rursus privationes ad suos habitus, contraria ad contraria, sicut nigrum dicit relationem contrarietatis ad album, lux ad tenebras. Ita enim in conceptu contrarii est contrarium interdum, sicut in unius relativi conceptu alterum. Quaedam sunt relativa secundum relationem tantum et non secundum rem, sicut dextrum et sinistrum; eadem enim columna, quae mihi est dextra, me verso fit sinistra; unde haec relatio non est ex natura rei, sed ex positione.

Relativorum iterum alia sunt secundum dici seu secundum dictionem, alia secundum esse seu naturam. Primo modo relativa sunt, quae ex principali significato notant

---

3 proprius] magis proprio *G* 5 Beneplatici *M* 8. 9 amici e fratris *G*: amicus e frater *TM* 10 vel ut *G*: velut *MT* 19 contrararij *M* 24 expositione *M*

rem alius praedicamenti, sicut scientia ex primo significato notat habitum quendam, qui est in prima specie qualitatis, mox | significat relationem quatenus refertur ad **28 *M*** scibile. Similiter potentia est species qualitatis ex primo significato; ut vero mox, refertur ad possibile, vel potens est in praedicamento relationis. Relativa secundum esse sunt, quae ex principali significato et primo significant relationem, sicut dominus et servus, maius et minus principaliter significant habitudinem ad aliud; secunda vero quadam consideratione significant rem alterius praedicamenti. Consequitur enim ut dominus significet substantiam, seu animal seu homi|nem, vel angelum seu Deum, et maius **443 *G*** vel minus significet quantitatem fundamentaliter.

Relativorum alia sunt secundum substantiam, ut pater et filius; alia secundum quantitatem, ut maius et minus; alia secundum qualitatem, ut intensius et remissius; alia secundum locum, ut sursum deorsum; secundum tempus, ut diutius et citius; secundum actionem, ut movens et mobile; secundum situm, ut sessio et sedens; secundum habere, ut vestis et vestitum, annulus et annulatum. Itaque in omni praedicamento, etiam in his quae sunt circa praedicamenta vel ante vel post, sunt res quae referuntur, id est relationis fundamenta.

Circa relativa tandem est notandum, quod nihil est dicibile vel considerabile, quod relationis non possit esse fundamentum. Omne enim consideratur vel in quantum est ipsum et in se, vel in quantum aliquid est ad ipsum vel ipsum ad aliud.

---

5 mox refertur *MTG*   5 *sq.* possibile vel potens, est *G*   9 secundo *G*   28 ad aliud *manca in fine di pagina in M.* vel ipsum ad aliud *om. G*

XVII. Actio. **29 M**

Actio alia est materialis, id est circa materiam, sicut est artis, et haec proprie dicitur factio. Alia est immaterialis, quae proprie dicitur actio; et haec alia est immanens, nempe quae est et terminatur in ipso agente, sicut intelligere, considerare, dubitare; alia est transiens, quae ab uno termino producitur in alium, sicut praecipitare, fodere, docere, ostendere.

Agens alius est principalis, et hic est duplex: aut praecipiens, aut exequens. Primus est sicut architectus, secundus est sicut domifactor. Accessorius seu non principalis est sicut servi istorum et ministri, nempe qui materiam suggerunt et operanti exporrigunt. Alii dicuntur agentes per circumstantiam, sicut in facinoribus consentientes et qui, cum possunt et debent impedire, non impediunt. Alia dicuntur efficientia organica seu instrumentaliter efficientia, nempe improprie, | ut crux dicitur salus Christianorum, et **444 G** gladius dicitur interfecisse hominem. Agentium ergo alii sunt q u o d, alii q u o. Actionum aliae sunt perfectae seu perfectionem significant, aliae tendunt ad perfectionem. Primi generis est, sicut movere astri, illuminare solis, in qua actione consistit perfectio, qua quiescente sequitur imperfectio vel destructio. Similiter et omnis actio, quae est secundum voluptatem; omnis enim voluptas est in motu et transitu quodam, ut patet in cibo et potu, musica et similibus. Quae vero tendunt ad perfectionem, appellantur actiones imperfectae, sicut aedificatio quae tendit ad aedi-

---

4 e 6 alia *MT*: aut *G* 13 suggerit e exporrigit *G* 14 circunstantiam *MT*

ficium. Vel actionum aliae sunt finis, sicut | enumeratae **30 M** voluptariae; aliae sunt ad finem, sicut ambulatio seu peregrinatio, quae est ad habitationem et quietem.

XVIII. Passio.

Passio sumitur primo grammatice, iuxta rationem qua secundum vocem passivum dicitur verbum vel nomen; unde grammatici amare appellant verbum activum, amari vero passivum, cum secundum rei veritatem amari sit pati et moveri, amare sit agere et movere.

Passio rursum significat omnem receptionem, unde passiones appellantur omnia accidentia et quaecunque aliquo pacto afficiunt subiectum, unde quicquid non est substantia dicitur passio illius, secundum quem modum Aristoteles dicit I. Perihermenias voces esse signa earum passionum quae sunt in mente.

Tertio passio dicitur omne illud quod afficit sensum vel intellectum, sive corruptivum sit sive perfectivum, sive bene sive male afficiens, unde passiones sunt laetitiae, tristitia, amores, odia, spes, desperatio etc.

Ultimo passio dicitur vulgari et frequentiori significatione, quae cum destructione vel alteratione subiecti incommoda, nempe contra illius appetitum, | evenit, ut uri, **445 G** affligi, torqueri, tristari, dolere et similia.

Passio rursum dupliciter accipitur: uno pacto absolute, et sic est in genere qualitatis, nempe iuxta rationem qua aliquod afficit subiectum, tanquam for|ma et accidens **31 M** illius; alio pacto relative, ut est actus patientis ab agente,

1 Vel *MT*: Rursus *G* sunt sunt *T* 8. 9 amari—amare *MG*: amare—amari *T* 14 περὶ ἑρμηνείας *G* 18 laetitia *G* 19 odio *M*

contra quam distinguitur actio quae est actus agentis in patiente, et hoc pacto est in alio praedicamento proprio.

XIX. Dare et XX. Accipere.

Dare et accipere quoddam est secundum interiores facultates, quoddam secundum exteriores. Unde dona et accepta quaedam sunt intrinseca, quaedam extrinseca. Intrinseca sunt, sicut virtutes, vitia, scientiae, consilia; extrinseca sunt, sicut bona et mala, honores, fortunae et similia his, quae sunt circa corpus. Eorum quae dantur et accipiuntur quaedam dantur transitive, sicut quando datur ager, domus, uxor et similia; quaedam dantur intransitive, sicut scientia, lux et similia. Postea dare quaedam dicuntur proprie, quaedam metaphorice secundum similitudinem, sicut venenum dicitur dare mortem, lux dare laetitiam; ad quod genus reducuntur ea quae dant quod non habent, quae effundunt in alios quod non habent in se ipsis, sicut ignis dat uri, ipse tamen non uritur, frigus condensat aquam, ipsum tamen non condensatur, scintilla accendit magnum ignem, ipsa tamen non est magna, monstrum infert terrorem aliis, quem in se non habet. Unde indiscreta est illa loquutio vulgata 'nemo dat quod non habet.' Species eorum quae dantur sunt iuxta numerum generum, similiter eorum qui dant et eorum qui accipiunt et quae accipiuntur. Quaedam enim dant esse, quaedam veritatem, quaedam bo|nitatem, quaedam principium et prin- **32 M**
cipiationem etc.

---

1 quam] quem *G* 8 Extrinsecè *T* 25 *sq.* principiationem *T*: principationem *MG*

XXI. Habere. **446 G**

Habere dicitur dupliciter: uno modo per modum absoluti, alio modo per modum respectivi, et hoc etiam vagatur per praedicamenta, sicut proxime dictum est de dare et accipere; omnis enim natura dependens illud idem habet quod ab alio accepit, et illud accepit quod ab alio datum est. Sed ut Aristotelicam divisionem habendi prosequamur, quaedam habentur substantialiter, sicut homo habet esse substantialiter; quaedam essentialiter, sicut homo habet humanitatem et illud quod per propriam definitionem significatur et ipsam definitionem essentialem; quaedam integraliter, ut homo habet animam et corpus, et quodlibet totum habet suas partes; quaedam potentialiter, ut homo habet intellectum, voluntatem, sensum, rationem; quaedam habitualiter, sicut homo habet scientias et artes quas didicit; quaedam ex natura; quaedam ex inspiratione; quaedam ex acquisitione; quaedam inexistenter, sicut magnitudinem, talem complexionem; quaedam inhaerenter, sicut talem colorem, talem figuram; quaedam habentur contigua corpori, sicut annulus, vestis, calceus; quaedam vicina, sicut domus; quaedam circumstantia, sicut praedium, ager, hortus; quaedam magis extranee, sicut servus, uxor. Unde **33 *M*** sunt denominationes ex ipso praedicamento h a b e r e, secundum quod dicitur annulatus, calceatus, dives, uxoratus et similia.

---

20 vestes *G* 22 extranea *G*

XXII. Medivm.

Medium dicitur multipliciter. Primo enim significat omne illud, quod non est primum neque ultimum, sed mediae naturae et entia appellantur, praeter primum actum et ultimum, primam et ultimam potentiam, illud nempe quod est in supremo gradu scalae naturae et infimo. Mox medium dicitur in unoquoque genere, quod non est supremum neque infimum, id est | neque universalissimum neque **447 G** particulare seu individuum. Rursum medium definitur, quodcunque oportet prius transire quam veniat ad extremum; vel per quod ad extremum pervenimus vel tanquam per viam vel tanquam per ductorem; vel per quod contraria cohabitant, sicut anima quae est incorporea habitat cum corpore mediante natura media quae est spiritus, et spiritus haeret materiae crassiori, nempe carni, per sanguinem. Proportionaliter est in his quae contrariantur secundum voluntatem, finem et institutum, quae conveniunt per intercessorem et mediatorem; item inter agentem et id quod fit, seu terminum actionis vel subiectum, mediat ipsa actio seu fluxus quidam, sicut inter dicentem et dictum mediat verbum, inter creatorem et creaturam mediat verbum per quod omnia facta sunt.

Medium est duplex: quoddam per participationem **34 M** utriusque extremi, sicut tepidum est medium inter calidum et frigidum, participans de utroque; quoddam vero est per exclusionem utriusque extremi, sicut punctum est medium inter duas lineas, quod neutrius est participativum; non

4 et ⟨media⟩ entia *G* 23 ⟨Item⟩ medium *G*

enim habet esse lineae neque ab hac neque ab altera, sicut inter dextrum et sinistrum. Rursum medium est duplex: quoddam punctuale, quoddam vero dimensionale. Medium punctuale est illud quod aequaliter distat ab extremis, sive geometrice sive arithmetice concipiatur; medium vero dimensionale est quicquid accipiatur quod non sit primum neque ultimum, sicut inter unum et decem media sunt duo, tria, quatuor, novem etc., punctuale vero medium est quod intercedit inter quinque et sex.

XXIII. Instrvmentvm.

Instrumenta distinguuntur sicut et efficientes et actiones. Efficientium enim substantialium, id est qui immutant substantiam et naturam, instrumenta sunt naturalia; qui vero efficientes versantur circa materiam, | sicut artifi- **448 G**
ces, instrumenta etiam habent externa sensibilia; qui versantur circa ea quae sunt inter artificialia et naturalia, habent etiam media instrumenta, sicut vox est instrumentum, qua docens infundit disciplinam in addiscentem. Sunt quidam efficientes, qui pro dignitate non tanquam instrumento, sed tanquam medio dicuntur agere; et per hoc differt instrumentum a medio, quia omne medium quodammodo est instrumentum, praeterquam si loquamur | de medio co- **35 *M***
pulativo, sicut est via et terminus quidam motus, sed loquimur de medio quo agens agit, sicut minister, legatus, quod idem dici potest instrumentum illius. Sed si ampliorem habeat dignitatem et nobilitatem, et propius accedat ad conditionem eius, qui principaliter operatur vel mittit, non dicitur instrumentum, sed medium. Medium quo-

11 Instrumenta distinguuntur *T*: Instrumentum distinguitur *MG*
13 Instrumnta *M* 21 quia *MT*: quod *G*

que distinguitur quoddam quod est separativum extremorum, sicut Scyllae fluxus seu vorago distinguit Siciliam ab Italia; quoddam vero est copulativum extremorum, sicut pons copulat duas ripas fluminis, clavus medians inter duas tabulas. Ita proportionaliter in aliis rebus, sicut species intelligibilis copulat intellectum cum re intellecta seu cum obiecto intelligibili, et aer est medium inter rem visibilem et visum distinctivum, quia nisi mediaret aer, impossibile esset apprehensionem fieri. Inter sensibile enim positum supra sensum non sentitur.

XXIV. Finis.

Finis alius quidem est privativus, sicut mors, desolatio; alius positivus, sicut complementum, consummatio, qua dicimus domum esse finitam, id est completam; alius perfectivus, sicut finis intentionis, ad quem scilicet operationes et res ordinantur. Et hic finis est duplex: medius scilicet in quo non contingit quiescere, et ultimus in quo contingit quiescere. Et hic ultimus finis duplex est: in genere, sicut est ultimus finis, ultra quem non licet aliquid appetere pro statu | humano, et definitur finis quem ultimo **449 G**
quaedam perquirunt; et ultimus | simpliciter, qui definitur **36 M**
quem omnia perquirunt. Ultimus in genere finis iuxta rerum genera multiplicatur, finis vero ultimus simpliciter est unum, ut unum est bonum simpliciter et absolutum.

---

4 *forse* mediat? 9 Inter *è cancellato, forse a ragione, da G, se pure non è da ammettere una lacuna*

XXV. Contrarietas.

Contrarietas dupliciter sumitur. Communissime primo, nempe pro omni oppositione, quae est in quolibet genere. In omni quippe genere (ut notat Aristoteles) est una prima contrarietas, sicut non est genus quod per contrarias differentias non migret in species; quo pacto corporeum et incorporeum, sensibile et insensibile et alia multa in genere substantiae sunt contraria, continuum et discretum in genere quantitatis etc.

Secundo communiter contraria dicuntur, quae se invicem tollunt ab eodem subiecto, sive intelligibili sive sensibili, sicut contraria sunt divisibile et indivisibile, quae sunt circa numerum et magnitudinem, quae sunt circa subiectum idem genus et eandem materiam communem, sicut par et impar circa numerum, non autem circa eandem materiam propriam, nempe eandem speciem, quia numeri species, quae est subiectum paritatis, ut tetras, decas, non potest esse eâdem subiectum imparitatis.

Tertio proprie contraria dicuntur, quae sunt circa idem subiectum proprium, unde se mutuo expellunt, | ubi se **37 M** simul non compatiuntur, ut album et nigrum in superficie eadem, triste et hilare in eodem simul spiritu seu animo.

Primo modo contrarietas est in omni genere, ut dictum est; secundo in quibusdam; tertio in uno praecise, ut in genere qualitatis. Omnis enim contrarietas propriissime dicta secundum qualitatem est.

Contrariorum alia sunt in eodem genere, sicut album et nigrum in genere qualitatis; alia in diversis | generibus, **450 G** vel etiam diversa genera. In diversis quidem generibus, ut

dicit Aristoteles aeternum et corruptibile differre plus quam genere; diversa genera, ut sunt bonum et malum. Contrariorum alia sunt definita ad unum, ut ubi unum uni est contrarium, sicut calidum frigido, turpe pulchro. Alia vero non sunt definita ad unum, ut ubi uni plura sunt contraria, sicut generaliter virtuti est contrarium vitium tantum, vitio vero virtus est contraria et alterum vitium; liberalitati enim contraria est avaritia tantum, avaritiae vero contraria est tum liberalitas tum prodigalitas, non sub nomine et ratione propria, sed sub nomine et ratione communi virtutis et vitii.

Contrariorum rursum alia sunt mediata, nempe quorum non est necessarium alterum esse in subiecto, sicut in superficie colorabili non est necessarium esse vel album vel nigrum (sunt enim inter duo haec contraria media); alia vero sunt contraria immediata, ut in linea, in qua oportet esse rectum vel curvum necessario. Eorum contrariorum, quae mediata dicuntur, | quaedam proprie dicuntur habere **38 *M***
medium neutrum, quaedam vero propius medium commune. Neutrum dicimus, quod utrumque terminorum excludit, commune vero, quod includit per utriusque participationem; unde patet error medicorum, qui inter sanum at aegrum constituunt medium neutrum, quando scilicet animal vivit et bene se habet secundum quasdam partes et conditiones, male vero secundum alias. Sed hoc est habere secundum hanc partem et hanc conditionem sanitatem, secundum hanc aegritudinem, unde potius deberent dicere dispositionem utriusque quam neutrius. Quoadusque enim animal vivit, aliquid est sanum in illo, sive minus sit de sanitate sive magis; neutram vero dispositionem dicam,

8 enim] etiam G 30 magis] plus G

quando neque aliquod, quod sanum possis dicere, est, neque quod aegrum, nempe quando mortuum est. Contrarietatem aliam in quatuor terminis | inspicimus, aliam in tri- 451 *G* bus, aliam (ut dictum est in aliis divisionibus) in duobus. Quatuor termini sunt, sicut ubi accipimus A amicum, B inimicum, C benefacere, D malefacere. Hic in tribus terminis, sicut amici, inimici, benefacere, contraria non sunt amicis benefacere et inimicis benefacere. Proinde sint tres termini: benefacere, malefacere, amicis; contraria sunt amicis benefacere et amicis malefacere. Ubi vero sunt quatuor termini, ut amici, inimici, benefacere, malefacere, amicis benefacere et inimicis malefacere sunt disparata, non contraria, similiter et inimicis benefacere et amicis male; contraria vero sunt amicis benefacere et amicis malefacere, inimicis bene|facere et inimicis malefacere. Ratio quarum 39 *M* contrarietatum est in eo inspicienda, quo contrariae sunt circa idem subiectum, non autem circa diversa subiecta.

XXVI. Opposita.

Opposita dupliciter considerantur: uno pacto secundum rationem generalem, et ita sub illis includitur ratio quatuor generum oppositionis, et titulus iste debet praecedere titulum relativorum et contrariorum, quia relativa et contraria una cum privativis et contradictoriis sunt species oppositionis; alio pacto sumitur proprius, ut oppositionem intelligimus eorum, quae ex adverso se respiciunt citra contrarietatem et relationem, et ita oppositio est triplex, privativa, contradictoria et regionalis. Privativa op-

---

2 nempe *G*: neque *MT* 9 termini, benefacere malefacere amicis *T*: termini, benefacere, malefacere amicis *MG* 15 quarum *T*: earum *MG* 16 quo *MT*: quod *G* 24 proprius *MT*: magis proprie *G*

positio est duplex, sicut duplex est privatio: quaedam quae praecedit formam, et haec est principium rerum naturalium, sicut ea privatio formae hominis, quae est in embryone, qua embryo est in potentia propinqua ad esse animalis, quaeque cum ablatione formae embryonis necessario consequitur, et hoc est unum genus oppositionis inter privationem et formam; quaedam quae sequitur formam, sicut mors quae sequitur vitam, caecitas quae sequitur | visum, **452 G** et haec multum abest ut sit principium rerum, sed est ipsa meta et destructio. | A primo genere privationis ad formam **40 M** datur ingressus, a secundo vero genere ad formam non datur regressus, nisi mediate.

Contradictoria oppositio est alia quidem logica, alia vero physica universaliter dicta, id est secundum omnem rationem realem. Oppositio logica est, quae consistit in complexione conceptuum seu orationum, qualem docet Aristoteles in suas species distribuere in libris περὶ ἑρμηνείας; ut enunciatio enunciationi opponitur contrarie, contradictorie, subalterne seu subcontrarie.

Oppositio realis contradictoria est in eo consistens, quod per affirmationem et negationem eiusdem de eodem significatur, sicut contradictorie opponuntur, mundum esse aeternum, mundum non esse aeternum, quando subiectum et praedicatum idem omnino significant.

Regionalis oppositio est alia physica, alia metaphysica, alia logica; sed omnes modi dicuntur per similitudinem ad physicam, quae est sicut oppositio orientis et occidentis, arctici et antarctici. Quae oppositio latina dictione significatur per contra, graeca per ἀντί. Ita in omni genere est haec oppositio regionalis, ut principium et finis una

---

3. 1. 5 embriono e *sim.* *MT* 17 Ut *MT*: ubi *G* 29 ἀντι: *MT*

ratione; alia enim ratione possunt opponi contrarie, ut mori et nasci. In his enim ratio plus consideranda est quam dictio, ut calidum et frigidum etiam regionaliter **41** ***M***
opponi dicuntur, ut alterum accipimus in meridie, alterum in septentrione; leve et grave, ut cum vulgo loquar, alterum quidem in centro, alterum in circumferentia.

XXVII. Intentio.

Intentionum alia prima, alia secunda. Intentio prima est quae immediate fundatur in re, et haec est duplex: particularis et universalis. Illa fundatur immediate primo, sicut intentio Socratis in Socrate, solis in sole sensibili; ista fundatur immediate secundo, | sicut intentio animalis fundatur **453** ***G***
in homine, cuius intentio fundatur in Socrate.

Intentio secunda est quae mediate fundatur in primis, cui per se et primo non respondet aliquid extra, sicut huic intentioni nomen, cui non respondet subiectum externum nisi nominatum, quod subinde erit hoc vel illud particulare. Et haec intentio secunda est praecipue triplex: logica universaliter dicta, mathematica et ethica. Intentio logica, ut nomen, verbum, copula et similia grammatica; genus, species, definitio et similia dialectica; prooemium, narratio et similia rhetorica; dactylus, spondeus et similia poëtica. Intentio mathematica, ut longitudo per se, paritas, imparitas, diapason, diapente. Intentio ethica, ut aequum, iniquum, sobrium, ebrium.

Intentio rursum sumitur aequivoce. Aliquando enim si|gnificat voluntatem, ut intentio mea est metaphysicam **42** ***M***
inventionem aperire, id est voluntas. Aliquando sumitur

5 ⟨item⟩ leve *G*   21 Proömium *T*: Proemium *M*   22 spondaeus *MTG*   28 *forse* intentionem?

pro specie cognoscibili, ut ubi dicitur haec est intentio mea, id est mea intelligentia. Aliquando pro re considerata, ut intentio metaphysicae est ens quatenus ens, id est ens incontractum, non certum et definitum. Interdum capitur pro ipsa potentia qua intendimus, ut homo est intentione praeditus, et qua omnia quae imaginationem et rationem habent intendere possunt. Rursum intentio sumitur pro actu, quo intendens intendit in rem intentam sive in aliud, sicut visio significat actum videntis in rem visam. Ultimo intentio capitur pro ipsa re intenta, ut caedes furis, suspendium malefici appellatur intentio principis.

XXVIII. Conceptio.

Conceptio dupliciter capitur, uno pacto relative, alio pacto absolute. Conceptio absolute tot modis sumitur quot et intentio, quia conceptionem meam et intentionem meam pro eodem possumus accipere. Re|lative autem, ut est termi- **454 *G***
nus appositus et condistinctus ab intentione. Ita aliud significat, sicut aliud est ab illa, quatenus ire aliud est quam redire, tendere aliud quam reverti. Intentio quippe est actus potentiae cognoscitivae vel appetitivae versus obiectum, conceptio vero est actus quidam informationis seu receptionis ab obiecto in potentiam; ut intentio etiam sit quaedam disposi|tio, apparatio, appulsus, conceptio vero **43 *M***
habituatio, adimpletio, impraegnatio.

---

6 [et] qua *G* 16 eadem *G* autem ut *T*: a. ut *M*: autem (*om.* ut) *G* 17 oppositus *G*

XXIX. Nomen.

Nomen dupliciter sumitur. Uno pacto generalissime, ut idem significet quod notamen, et hoc pacto significat tum complexos, tum incomplexos terminos: complexos, ut Ilias est nomen quod significat totum librum et illius libri orationes omnes; incomplexos, ut quamcunque dictionem per se simplicem vel compositam, categorematicam vel syncategorematicam. Unde cum verba, tum aliae orationis partes nomina quaedam sunt, ut quid significat amare. Alio pacto nomen sumitur proprie, et distinguitur contra alias orationis partes, praesertim vero contra verbum, quod apud logicos est unum, nempe est, quod substantivum appellant grammatici.

Nominum alia sunt propria, alia communia seu appellativa; rursum alia aequivoca, alia univoca, ut supra dictum; rursum alia propria, alia appropriata. Propria, quae a natura et a prima institutione sunt; appropriata, sicut ea quae a consuetudine, casu vel habitu, ut Aristoteles appellatur philosophus, architectus et similia. Rursum nominum alia sunt significativa, utpote quae referuntur ad illud quod principaliter ex primitiva quadam significatione exprimunt, ut aqua significat aquam; alia sunt adsignificativa, quae non ex etymologia vel aliis circumstantiis grammaticalibus, sed ex secunda institutione notant aliquid, ut politica || significat | scientiam quae non solum ad civitatis **455 G 44 M** gubernationem, sed etiam ad regnorum gubernationem spectat, non tam in nominis huius virtute quam in nominis

---

6 quancunque *T* 13 substantiuum *T*: substantiam *MG*

latini, quod civilis scientiae, unde ius civile non idem significat quod ius politicum, quamvis civitas et polis idem significent. Itaque in philosophia et aliis scientiis non ex rigore grammatico de nominum significatione est iudicandum, sed ex usu et institutione artium, in quarum interpretatione temere se ingerunt et cum magna illarum iactura grammatici.

XXX. Ordo.

Ordo secundum genera rerum distinguitur (definitur enim positio seu constitutio diversorum secundum prius et posterius); et hic aut consideratur secundum conditionem naturae absolute, et ita est in praedicamento substantiae; aut secundum conditionem naturae inhaerentis seu adiacentis seu adiective, et ita primaria quadam ratione est in praedicamento quantitatis (quia in numeris est ordo, quo naturaliter unitas praecedit dualitatem, paritas imparitatem, numerus digitus articulum, linealis planum, planus solidum; sicut et ordo est locati ad locum, prius enim est locus quam locatum), secundo est in genere qualitatis, ubi est ordo quo certas qualitates in subiecto praecedunt certae qualitates, sicut dispositio praecedit habitum, simplex apprehensio | compositionem, acidus sapor praecedit **45 M**
dulcem. Similiter in genere relationis est ordo, sicut ratio paternitatis et filiationis praecedit rationem domini et servi, magistri et discipuli. Item in genere actionum est ordo; ignis enim prius calefacit quam fervefaciat, et fervefacit prius quam torreat, et torret prius quam resolvat. Similiter in praedicamento passionis e converso, sicut lignum

1 *leggi* scientia 5 *sq.* interpretationem *corregge G* 26 fervefaciat *G*: fervefacit *TM*

primo calefit quam accendatur. Similiter in omni praedicamento. Atque ideo iuxta praedicamentorum et generum varietates | variae sunt ordinis species, quandoquidem ubi **456 G** sunt genera et species, ibidem est intelligere multitudinem, et ubi est multitudo, ibi est comparatio, et ubi est comparatio, ibi est distinctio si bene fuerint ordinata, ubi est distinctio, est ordo. Ordo autem est duplex, alter quo res cognoscuntur, alter quo res constituuntur. Ordo constitutionis alter est quo res fiunt, alter quo res factae sunt. Ordo cognoscendi et essendi alter est naturae, quo videlicet res a natura cognoscuntur, cuius facere et habere est cognoscere (natura quippe est intelligentia aut intelligentiae ordo, si ipsam vel inexistentem rebus vel rebus insitam intelligamus); alter est artis seu voluntatis, et hic iuxta diversa genera actionum in agendo est diversus. Constat enim quo ordine domus fiat, quo ordine scamnum et statua. Ordo | autem cognoscendi aut est a confuso ad **46 M** distinctum; sicut prius comprehendimus domum totam et hominem totum, quam distinguamus in suas partes seu in ea ex quibus componitur; prius de tractatu aliquo seu de arte habemus confusam generalem rationem, vel ex titulo seu nomine vel ex prooemio, quam distinctam habeamus ex pertractatione et integro discursu comprehensionem: aut est tanquam a genere ad speciem, aut a specie ad particulare. Et hic etiam ordo videtur ad similitudinem naturae; per visum quippe quando alicuius distantis speciei conceptum facimus, prius eminus quam cominus videmus; ideo a longe primum obiicitur corpus coloratum, secundo videntes corporis motum iudicamus esse corpus animatum, videntes distributionem seu varietatem mem-

6 distinctio, si *MG* 22 proœmio *T*: proemio *M* 24 a genere] in genere *G* 26 naturae per visum, quippe *MG* 28 a longinquo *G*

brorum iudicamus animal, distinguentes visu animalis figuram iudicamus hominem, coniicientes habitum circa corpus iudicamus Germanum, proximo autem facto cognoscimus Frischlinum. Est etiam ordo cognoscendi, sicut a toto ⟨ad⟩ partes, et totum est duplex: confusum, et de hoc exemplificatum est; et distinctum seu artificiale, et hoc est, sicut ab habitu metaphysico ambiente totum ens descendimus ad **457 *G*** iudicium et examen habituum particularium scientiarum; quae partes entis sunt. Rursum est ordo a partibus ad totum, sicut in omnibus artibus, | in quibus ab elementis pro- **47 *M*** cedimus ad elementata, ab integrantibus ad integrata, ut in grammatica a cognitione literarum et syllabarum, in geometria a cognitione punctorum, linearum et angulorum, in logica a cognitione simplicium terminorum procedimus ad cognitionem dictionum et orationum, item figurarum et mensuratorum ad compositiones et discursus.

Proinde est ordo a particularibus ad universalia, qui est ordo inquisitivus et inventivus. Lustrantes enim singula individua videmus quid illis sit commune, et colligimus speciei rationem; lustrantes singulas species complectimur quid illis sit commune, et lucramur generis rationem. Huic oppositus est ordo cognoscendi a genere ad species, qui est ordo iudicativus doctrinae et disciplinae; artes enim, quas proxime dicto ordine invenimus, hoc ordine docemus. Est ergo ordo aut sensitivae cognitionis aut intellectivae: sensitivae, ut tanquam a toto ad partes, a confuso ad distinctum, ab universali ad particulare, ut dictum est; intellectivae vero similiter secundum aliam rationem est ordo vel ab universali ad particulare, vel a particulari ad universale, ubi pars non est integralis, sicut in sensibilibus, sed

---

3 autem *T*: a. (*cioè* autem) *M*: a *G*   4 ad *om.* *TMG*   6 artificale *MG*   8 sciontarium *MG*   9 sint *G*   15 item ⟨a cognitione⟩ *G*

essentialis, sicut species est pars generis. Et haec intellectiva cognitio rursum est duplex, inquisitiva seu secundum potentiam, et | iudicativa seu secundum actum; prima est ad **48 *M***
cognitionem seu ad doctrinam et disciplinam, secunda est doctrinae et disciplinae.

XXXI. Prius et XXXII. Posterius.

Prius aliquid dicitur alio aut natura, sicut sol est prius quam sua lux et suus calor, sicut causa | aeterna ef- **458 *G***
fectu coaeterno; aut duratione, sicut bellum Troianum est prius condita Roma; aut non convertendi consequentia, quando scilicet e duobus ex unius esse sequitur esse alterius, non e contra, ut hominem esse prius est quam philosophum esse, hac ratione, quia si philosophus est, homo est, non autem si homo est, philosophus est; aut dignitate, sicut prius est dominus quam servus; aut cognitione, sicut prius sunt principia prima quam secunda seu mediata; aut electione, sicut prius defendere parentem quam amicum; aut positione, sicut peregrinanti ad Indos occidentales prius occurrit Roma quam Lutetia.

Totidem modis dicitur posterius, nisi quod unus modus potest adiici, ut posterius sumatur dupliciter: uno pacto, ut distinguitur contra prius, et ita suis modis cum eo est definitum; alio pacto, ut distinguitur contra anterius, et ita dupliciter consideratur; uno pacto contra anterius secundum tempus, et sic distinguitur contra prius duratione; alio pacto anterius secundum differentiam localem, et hoc pacto habet propriam significationem.

---

13 quia] qua *T* 26 *forse* ‹contra› anterius

XXXIII. Simvl. 49 M

Simul etiam dicitur secundum multitudinem significationum, quibus condistinguitur a priori et posteriori, licet non totidem modis. Quaedam enim dicuntur simul, quae in eodem ordine sunt priora vel posteriora, sicut relativa secundum rationem formalem, qua referuntur ad invicem, quae eadem secundum rationem fundamentalem seu materialem non sunt simul, sed alterum potest esse altero prius, sicut fundamentum paternitatis natura et tempore est prius fundamento filiationis. Quaedam dicuntur etiam secundum prius et posterius, quae non dicuntur simul, sicut in ordine dignitatis aliquid dicitur prius cum sit dignius, posterius cum sit indignius, non tamen dicitur simul si sit aeque | dignum; unde patet non semper simul 459 G
dici secundum rationem distantiae inter prius et posterius. E contra quaedam dicuntur esse simul, quae excludunt rationem prioris et posterioris, sicut quae sunt simul congregatione, unione, sicut multi homines sunt unus populus simul. Itaque patet modus, quo simul distinguitur a coordinatione prioris et posterioris, et distinctum titulum requirit ab illis.

XXXIV. Idem.

Idem sicut et unum multifariam dicitur. Vel enim ratione idem dicitur, sicut ea quorum defini|tio est una et 50 M
synonyma. Dicitur idem subiecto seu re, sicut illa quae sunt unum vel collective vel compositive vel concurrenter, et hoc pacto ea, quae sunt etiam genere diversa et es-

sentialiter differunt, possunt esse idem et unum. Socratem enim indicantes dicimus haec substantia, hoc animal, hic unus vel hoc unum, hic philosophus, servus, docens, legatus, sedens. Omnibus his idem significatur subiectum, quae sunt nomina diversorum generum ratione differentia, omnia tamen unum sunt subiective seu re; idem autem re, non quidem significatione, sed significato.

Re autem idem dicitur tripliciter. Genere, sicut idem est corpus animatum et corpus inanimatum sub univocatione corporis. Idem specie, sicut homo et bos sub animali, quatenus animal est species quaedam corporis, quatenus vero animal duabus differentiis descendit hinc ad constitutionem hominis, inde ad constitutionem bovis, relinquit ea eadem genere et diversa specie; propriissime vero idem specie sunt Socrates et Plato. Idem vero numero est illud, cuius materia una est et suppositum unum vel persona una, quod individuo est vel signatum, ut hic homo; vel vagum, ut quidam homo (quando supponit pro uno tantum), qui est Socrates, licet possit pro pluribus supponere; circumloquutum seu circumscriptum, ut quidam homo **460 *G*** crispo naso, lippis oculis, crassis labiis etc., Sophronisci filius; nominatum, ut Socrates, qui pluribus nominibus seu rationibus idem est numero, id est materia.

XXXV. Diversvm. **51 *M***

Diversum est nomen significans distinctionem primarie dictam, qualem intelligimus esse inter genera et genera, et ea quae nullam habent communicationem, quod sane in omnibus his quae distinguuntur communissimum

---

17 quod vel individuo est signatum *G* 20. 21 homo crispo *T*: simo (*om.* homo) *MG*

est. Differentia enim, discrepantia, alia, contraria, seposita, seiuncta, distincta, divisa et synonyma istorum omnia sunt sub genere diversi, non vicissim; quia distincta dicuntur ea quae possunt simul esse vel intelligi confusa, divisa quae unita, discrepantia quae possunt concordare, differentia quae possunt esse idem. Unde differentia intelliguntur in eodem genere, discrepantia etiam in eadem compositione vel circa eandem materiam; diversa vero dicuntur etiam quae nullatenus concurrunt, conveniunt, consentiunt (unde Aristoteles generalissima inter se appellat diversa, species in unoquoque genere differentes, principia in principiatis, elementa in elementatis distincta); cognoscentia seu opinantia diversa circa idem obiectum, dissentanea contraria appetentia circa idem appetibile, vel contrarii appetitus circa idem propositum bonum vel malum, proprie appellantur discordantia, quasi diversi cordis.

XXXVI. Differentia.

Differentia distinguitur vulgo in communem, qua aliquis differt ab alio vel a se ipso accidente | separabili, si- **52 M**
cut est differentia inter stantem et sedentem; propria, qua differt ab alio accidente inseparabili, sicut luscus a bene oculato, caecus a vidente, simus ab aquilino; propriissima, qua aliquid differt ab alio essentialiter, ut genus a genere, species a specie per differentiam propriam.

Differentiarum aliae sunt essentiales, quae sunt pars **461 G**
definitionis rei; aliae sunt accidentales, et istae si sunt propriae, sunt pars descriptionis rei. Rursum differentiarum aliae quaedam faciunt aliud, id est significant diversita-

---

2 synonima *T* 10. 13 consentiunt, unde-diversa; species-distincta, cognoscentia *G* 20 e 22. 23 ⟨in⟩ propriam *c* ⟨in⟩ propriissimam *G*

tem substantive; aliae faciunt alium seu alterum, id est significant diversitatem adiective. Iuxta primum modum dicimus aliud est bos, aliud est homo, male diceremus alius; secundo modo alius est Socrates, alius est Plato, ubi male diceremus aliud. Quin imo alius dicitur etiam idem a se ipso, ut 'hospes alius mihi nunc atque ante videris.'

Quaedam item differentiarum sunt divisivae generum tantum, ut tripes et quadrupes, videns non videns, volatile reptile sunt divisivae differentiae generis animalis, et quia sunt accidentales, non sunt constitutivae specierum. Aliae etiam sunt specierum constitutivae, sicut rationale et irrationale dividunt animal et constituunt certas species, ubi nota rationale etiam secundum se non minus significare accidens, quam risibile. Significat enim potentiam ad ratiocinandum, sed virtute positionis significat substantialem differentiam, non tam (inquam) significat, quam adsignificat. Rationale enim, ut significat potentiam et qualitative, | non est differentia essentialis, sed ut signi- **53 *M***
ficat formale illud et primum illius potentiae subiectum, quod tali qualitate denominatur, non compositum, sed ut simplex natura, habet vim ad referendum differentiam essentialem. Similiter irrationale, ut sumitur negative vel privative, non est differentia distincta essentialiter a rationali, sed est accidens; ut vero distinguitur contra rationale, significat positive, ut in bove ipsam bovinitatem, in asino asinitatem, id est essentiam illam et naturam quae facit bovem esse bovem, differentem ab illa natura et contrapositam illi naturae quae facit hominem esse hominem, quam per rationale magis indicamus quam significamus,

---

6 hospes *etc.*] *solito exemplo* (*Odyss. 16, 181*)   22 referendam *G*

quia substantia rerum est incognoscibilis et | innominabilis. **462 G** Idem de omnibus essentialibus differentiis est iudicium, quia omnium nomina semper accidens significant, sed adsignificant substantiam.

XXXVII. Proprietas.

Proprium dicitur quadrupliciter: primo quod convenit toti speciei, sed non soli, sicut esse bipedem homini; secundo quod convenit soli speciei et non toti, sicut esse philosophum homini; tertio quod convenit soli totique speciei, sed non semper, ut canescere homini in senectute; quarto quod convenit toti, soli et semper, ut esse risibile homini, id est posse ridere. Etsi enim non semper rideat actu, etsi quidam nunquam riserint, haec tamen proprietas refertur non ad actum, sed ad potentiam, non ad ra- **54 M** tionem individualem, sed specificam.

Ad hos modos est quod referamus etiam quod convenit toti speciei et solum, licet non soli, sicut proprium nivis est album esse, quia solum alba est, non sola. Est autem proprium quaedam qualitas, quae consequitur naturam speciei, procedens ex differentia specifica illius immediate, sicut risibilitas consequitur rationalitatem; et haec proprietas dicitur convertibiliter cum eo cuius est proprium. Licet autem huiusmodi proprietates, quae convertibiliter dicuntur cum specie, multas contingat invenire, sicut in specie humana contemplabile, philosophabile, navigabile, admirativum aeque convertibiliter dicuntur de homine atque risibile; tamen praeceptum est logicum, ut e multis illud

---

8 et *MT*: sed *G*   15 indivdualem *M*   17 et solum non licet soli *T*   24 multa *T*

quod est potissimum et quod magis in actum adducitur, sicut est risibilitas respectu enumeratorum, habeatur proprium.

XXXVIII. Genvs.

Genus multipliciter sumitur: grammaticaliter, id est pro sexu; secundo polyhistorice (id est poëtice laudatorie) pro conditione et modo alicuius generis vel | speciei, ut **463 G** hoc genus hominum est Hebraeum, hoc genus leonum est Libycum; tertio sumitur genus naturaliter pro principio uniuscuiusque generationis, quo videlicet pater filium generat, unde di|citur Ilus ducit genus ab Hercule, Agamemnon **55 M** ab Atreo; quarto sumitur civiliter pro congregatione multorum quodammodo se habentium ad unum aliquod et ad se invicem, politica quadam relatione multas familias ab uno protoplaste demanantes complectente, sicut genus Romanorum dicitur a Romulo, Hebraeorum ab Heber; quinto genus sumitur metaphysice pro natura quadam communi multis rebus seu speciebus, sicut substantia est quaedam natura communis animalibus, plantis etc.; sexto logice pro intentione illam naturam communem significante seu signante. Genus enim logicum significat commune speciebus quod de speciebus praedicatur, non autem in suo ordine est commune speciei neque praedicatur de specie, sed est eiusdem generis species cum illa, nempe praedicabilis et secundae intentionis. Praedicatio quippe signatur seu notatur genere et specie logice acceptis, exercetur autem in genere et specie physice universaliter dictis, nempe mathematico, naturali, metaphysico.

---

2 *manca la virgola in T*   6 ⟨vel⟩ laudatorie *G*   9 Lybicum *TMG*
11 Ilus] *la fonte del Bruno avrà avuto senza dubbio* Hyllus; *cf. Porphyr. Isag. 2 p. 1· 24 Br.*

XXXIX. Species.

Species quoque tot modis sumitur quot genus: grammatice, qua species distinguunt in suo ordine nominum primitive vel derivative; secundo polyhistorice, ut species hominum, pro conditione et modo; tertio naturaliter, sicut species Priami digna est imperio, significando pulchritudinem, maiestatem, magnanimitatem, quae sunt formae quaedam et qualitates a natura; | quarto civiliter, ut species **56 *M*** Priami digna est imperio, propter mores, experientiam rerum, eloquentiam, artem bellicam; quinto physice universaliter dictum pro re seu natura, quae est sub aliquo genere, ut homo quae|dam species est animalis; sexto logice **464 *G*** pro intentione significante illam rem seu naturam, quae est species praedicabilis condistincta a genere et differentia, quae sunt eiusdem generis species, nempe praedicabilis, quod est genus proximum, secundae intentionis, quod est genus primum.

XL. Per se.

Per se dicitur quatuor modis ab Aristotele. Primo quando aliquid de aliquo essentialiter dicitur, sicut cum genus dicitur de specie, species de individuo, differentia de specie, nomen speciei de differentia, definitio de definito. Secundus modus, quando propria passio dicitur de subiecto, nempe in cuius definitione subiectum ponitur, sicut simitas per se convenit naso, surditas auditui, claudicatio

---

3 distinguunt *M*: distingunt *T*: distinguuntur *bene G* 4 dirivativò *M* 9 *sq.* experientiam rerum eloquentiam *T*: experientiam, rerum eloquentiam *M*

tibiae. Non enim definitur aliqua ex istis passionibus sine suo subiecto; caecitas enim est oculi orbitas, surditas auditus orbitas, simitas nasi curvitas. Tertius modus est, quo aliquid absolutum intelligitur et non cum aliquo, sicut quaedam formae sunt per se, id est purae, non in materia. Sic Deus dicitur actus per se; similiter intelligentiae. Item secundum considerationem hanc medicus meditatur de colore urinae per se, id est sine respectu habito ad | subiectum **57 *M*** . Itaque hic modus tertius dupliciter sumitur, ut quoddam sit per se natura, quoddam vero positione seu conceptu. Quarto modo per se dicitur necessarium, sicut caussa per se dicitur, quam necessario consequitur effectus, ut per se decapitatus interit, id est necessario, per se decoriatus moritur, id est necessario etc.

XLI. Secundum quod ipsum.

Secundum quod ipsum est species eius quod est in primo modo dicendi per se. Eorum enim quae dicuntur per se, quaedam dicuntur inconvertibiliter de subiecto, sicut superiora de inferioribus in eodem genere univoca; quaedam vero convertibiliter, sicut aequalia de | aequalibus. **465 *G*** Et in horum ordine est quod dicitur secundum quod ipsum, ubi scilicet praedicatum convenit subiecto adaequate et primo, quemadmodum habere tres angulos convenit secundum quod ipsum triangulo, etiamsi per se praedicetur de scaleno, isoscele et isopleuro.

---

12 sequitur *MG*

XLII. Motvs.

Motus sumitur dupliciter. Primo pro omni mutatione, et ita est in omni praedicamento. Est enim motus secundum substantiam generatio, corruptio; secundum quantitatem augmentatio; secundum qualitatem alteratio, figuratio; secundum relationem | dominatio, ut significat motum 58 *M* ad illam, ut fieri dominum, magistratio, id est fieri magistratum; in ubi, ut ascensio fieri sursum; in quando, ut continuatio·in annum, fluxio ad horam; in situ, ut sedere, id est actus ad sedendum; in agere, ut ire ad movendum, deponendum; in pati, ut intendere ad discendum; in habere, ut uxorari et ducere uxorem. Aristoteles in tribus praedicamentis ponit. Alio pacto sumitur proprie, ut motus est quaedam mutatio seu mutationis species, qua acquiritur novum nomen cum subiecti mobilis variatione situs. Quando aliquid augetur, ipsum subiectum mutatur.

Motus est duplex, physicus videlicet et metaphysicus seu metaphoricus. Primus est in subiecto per se, secundus vero est per accidens, id est per aliud, secundum quem motum Deus dicitur moveri, fieri iratus, sinister dexter, quia nos ita afficimur, ita mutamur.

XLIII. Terminvs.

Terminus dicitur totidem modis quot et finis. Insuper etiam terminus dicitur quodcunque extremum, unde et totidem modis dicitur quot et principium, licet quibusdam modis propriis, quibusdam impropriis. Omnes autem modi

---

17 et *TG*: *om. M*   20 sinister, dexter *male MG*

reducuntur ad tres, nempe a quo, in quo, ad quem. Est enim terminus a quo, a quo aliquid procedit, | sicut locus 466 G est principium cursus; est terminus in quo, ubi videlicet aliquid sistit; est terminus ad quem, quo videlicet aliquid movetur. Rursum est terminus alius physicus, | alius logi- 59 M cus, alius mathematicus. Terminus physicus est forma, quia materiam interminatam et indefinitam terminat. Terminus logicus est definitio; haec enim finit speciem, id est saepit eam ab aliis rebus. Terminus mathematice est in quem fit resolutio quantitatis, vel continuae, ut punctus est terminus lineae et omnis magnitudinis, vel discretae, sicut unitas est terminus omnis numeri. Omnes alii modi, quibus terminus dicitur, reducuntur ad istos, ut elementa uniuscuiusque rei termini dicuntur, quemadmodum in grammatica termini sunt literae, in logica dictiones incomplexae sunt termini simpliciter, propositiones sunt termini argumentationis, quam scilicet resolvendo in illis terminamus.

XLIV. Necessitas.

Necessitas uno pacto sumitur absolute, et sic idem est quod fatum, appellatum a nonnullis destinatio, praedestinatio, seu voluntas divina, seu immutabilis naturae facultas, quo sensu dixit Zoroaster 'fortis necessitas omnibus dominatur'; et respective, et sic distinguitur contra contingentiam, casum, fortunam. Tunc adhuc dupliciter sumitur: uno pacto generaliter pro omni eo quod impossibile est aliter esse, unde necessarium dicitur etiam impossibile; alio pacto particularius, ut accipitur necessarium libro periherm.

---

2 *manca il primo* a quo *in T*   10 punctum *G*   23 periherm. *TM*: περὶ ἑρμηνείας *G*

distinctum contra | impossibile, ut apud logicos, qui qua- **60 *M*** tuor ponunt propositionum modos iuxta necessarium, impossibile, possibile, contingens. Rursum necessarium accipitur latiore significatione pro eo quod potest aliter esse, non tamen nisi incommode, unde necessarius dicitur equus ad perambulandum magnum iter; unde distinguunt logici necessarium in simpliciter et ad bene esse, ut | necessarius dicitur liber Porphyrii ad logicam, quam **467 *G*** sine illo tamen perfectam esse intelligunt. Necessarium etiam dicitur violentum quinto Metaphysicorum, ut quae coacti fecimus necessitate quadam fecisse dicimur, ut sagitta iacta necessario ascendit.

XLV. Vbi.

Ubi est intentio, qua aliquid alicubi esse dicitur; alicubi vero esse multis dicitur modis, quemadmodum et esse in, quos modos supra enumeravimus. Ubi dupliciter dicitur: uno pacto generice, ut est categoria quaedam per se; alio pacto specifice, et hoc pacto est species, quae dicitur locus, qui potissima sua significatione est in praedicamento quantitatis. Ubi rursum generice sumptum aut capitur proprie, ut est species entis et categoria distincta ab aliis novem (et sic habet species, primum subalternas, quae sunt in coelo, in astris, usque ad specialissimam, quae est in domo, in templo, quorum individua sunt in mensa, in altari); alio pacto sumitur communius ea ratione qua aliquid est | alicubi, sicut Deus dicitur esse ubique, anima in **61 *M*** toto corpore. Unde sequitur distinctio, qua aliquid alicubi

8 Porphirij *T* 11 coacte *G*

esse dicitur vel definitive, sicut anima est in corpore, intellectus in animo, vox in sensu auditus; alio pacto infinite, sicut Deus est ubique super omnia, infra omnia, ut omnibus providet, omnibus dat esse, omnia continet et omnia fundat; alio pacto aliquid dicitur alicubi circumscriptive, tanquam in terminante loco, et ita dupliciter: uno pacto adaequate, nempe tanquam in loco proprio, qui non est maior locato, sicut ego sum in tanto spatio quantus sum, vel in tanto loco quanta est superficies aëris me continentis; alio pacto inadaequate, nempe tanquam in loco communi, quomodo sum Tiguri vel in Germania vel in domo.

XLVI. Qvando.

Quando similiter distinguitur in rationem genericam et specificam: specificam quidem, qua idem significatur **468 G** quod tempus, quod est species quantitatis; genericam, quae est certa categoria ab aliis distincta, secundum quam aliquid aliquando dicitur. Aliquando vero dicitur dupliciter: uno pacto secundum rationem hanc propriam, qua sub q u a n d o, quod est genus generalissimum, subalterna sunt genera, in anno, in seculo, olympiade, lustro, et sub his sunt menses, | dies, horae cum differentiis praeteriti, prae- **62 *M*** sentis et futuri, usque ad individua, quae sunt haec hora, hic dies etc.; alio pacto communius sumitur quando, ut omnem durationis speciem includit, ut ipsa aeternitas, ipsum aevum. Quaedam quando dicuntur; respondemus enim ad quaestionem: quando Deus est? 'semper' dicendo. Ubi illud 'semper' aequivoce dicitur cum eo quod est semper in aliis rebus, ut mundus est semper, humana species est semper;

---

23 dies, et alio pacto *G*

quia in aliis semper est instans aut fluens et successivum, in Deo vero est instans manens, ipsa nempe aeternitas, quae definitur tota simul et perfecta possessio. Atque ita quando quaeritur de Deo, et respondetur secundum rationem, quae non est neque species alicuius praedicamenti, neque istius quidpiam praedicamenti.

XLVII. Sitvs.

Situs interdum significat locum, unde idem est dicere aliquando in hoc situ, quam in hoc loco. Aliquando significat respectum secundum locum, ut cum dicimus in quo situ, id est ad mare vel ad montes vel ad planitiem. Aliquando, ut in praesentia, significat dispositionem rei in loco, ut cum quaerimus quomodo sita res sit, nempe quam partem habeat ad orientem, quam ad occidentem, quam ad meridiem etc. Aliquando dispositionem partium et figurationem rei tum in se ipsa, tum in loco, ut in animali species situs sunt iacere, stare, | cubare, sedere, curvatum esse. **63 M**
Sumitur autem | dupliciter, adiective videlicet et substanti- **469 G**
ve: substantive significat locum perpetuo, adiective vero significat ea quae sunt circa locum et secundum locum aliquam habent dispositionem.

XLVIII. Comparatio.

Comparatio est respectus rei ad rem, qui sumitur dupliciter: uno pacto, ut dicit habitudinem, ut idem sit comparari ad aliquid et referri ad illud (comparari enim est respectum paritatis vel imparitatis accipere vel habere;

---

9 quam *T*: quod *MG*

comparare enim servum domino, patrem filio, maius minori, est alterum conferre cum altero; sed haec significatio est minus consueta), secundum quod vulgo solent dicere, rem ita comparatam esse, id est ita adnatam; alio pacto, ut dicit respectum secundum rationem maioris et minoris, et ita proprie sumitur. Et hic respectus est duplex in quibusdam, in aliis vero simplex: duplex inquam in his, quae in scala et ordine aliquo sunt media, quae minora sunt superioribus, maiora inferioribus; simplex vero est in minimo, quod habet respectum ad superiora tantum, et maximo, quod habet respectum ad inferiora tantum. Comparatio quoque dupliciter sumitur, uno pacto grammatice, alio pacto philosophice: grammaticaliter distinguitur contra positionem et superlationem, | **64 M** philosophice vero habet superlationem tanquam speciem. Comparatio est inspicienda semper in eodem genere, et in his quae suscipiunt eandem praedicationem secundum rationem maiorem et minorem; quia in his quae non suscipiunt magis et minus, melius et deterius, plus et minus respectu eiusdem attributi, comparatio locum ullum non habet.

XLIX. Comprehensio.

Comprehensio multiplex est. Prima secundum substantiam, secundum quem modum essentia simpliciter comprehendit omnem essentiam in genere. Item quem | **470 G** admodum sensitivum comprehendit vegetativum; sic dicit Aristoteles in t e r t i o D e a n i m a, animam sensitivam non esse actu cum anima intellectiva, ne plures animae sint in eodem animali, sed esse in illa, id est comprehendi ab illa, si-

19 eiusdem, attributi *M*   23 simplicito *G*

ex habitu primorum principiorum sunt | manifesta. Itaque **67 *M*** fides, sive theologica sive philosophica, est circa principia indubitabilia. Et haec distinguitur in implicitam et explicitam: implicita fides est consequentiarum et consequutionum earum, quae ex habitu primorum principiorum deducuntur (in eo enim, quod creditur hominem maius esse anima, est implicita fides, id est habitus illius principii **472 *G*** primi 'totum est maius sua parte'); alia est explicita, sicut expressio istius propositionis secundum se. Secundum scholasticos theologos fides implicita est in infantibus et plebe, qui in virtute parentum et maiorum, quibus subsunt et quibus obtemperant et quorum munerum sunt participes, credere intelliguntur ea quorum rationem non habent neque evidentiam; explicita est, quae in sapientibus et doctoribus. Distinguitur etiam in vivam et mortuam etc.

LII. Evidentia.

Evidens aliquid dicitur vel ex fide tantum, et hac vel theologica vel philosophica (et istud dicitur in primo gradu, et hoc est ex duobus sensibus, qui sunt principia disciplinae, ex visu videlicet et auditu; ubi visus debet esse de visibilibus, auditus de invisibilibus); alia est conclusionum seu scientiae, et haec est eorum quae necessario consequuntur ex his quae habentur per fidei evidentiam. Credibilium seu principiorum dicitur esse intellectus, conclusionum vero esse scientia; unde | scientia definitur habi- **68 *M*** tus conclusionis per demonstrationem acquisitus. Haec evidentia est dependens ab illa; unde illa comparatur soli, haec vero radio.

---

2 philosophica est, circa *T* 4 et *T*: seu *MG* 17 hac *MG*: hoc *T* 28 *qui finisce T, dove è sottoscritto* FINIS

EIVSDEM PRAXIS DESCENSVS,

SEV APPLICATIO ENTIS.

Descendit ens primo in substantiam per contractionem differentiae, quae est iuxta tertium modum per se, cuius merito subinde descendit in ea, quae sunt in substantia, cum substantia, circa substantiam et universaliter de substantia praedicantur, principia, partes, genera, differentiae et modi. Distributionem eorum quae de substantia dicuntur et de accidente praedicatorum, fusius in secunda huius voluminis parte proposuimus. | Nunc formationem 473 G
istorum, qua definiuntur entia metaphysica et ea quae media sunt inter metaphysica atque physica principia et entia, exercebimus. Formabilia sunt Deus seu mens, intellectus seu idea, amor seu anima mundi. Itaque iuxta tria haec pars ista ultima in tres applicationes distribuitur.

DE DEO SEV MENTE.

I. SVBSTANTIA.

Deus ergo est substantia universalis in essendo, qua omnia sunt, essentia omnis essentiae fons, | qua quidquid 69 M
est, est, intima omni enti magis quam sua forma et sua natura unicuique esse possit. Sicut enim natura est unicuique fundamentum entitatis, ita profundius naturae uniuscuiusque fundamentum est Deus. Propterea bene dicitur 'in quo vivimus, vegetamur et sumus'; quia est vitae vita, vegetationis vegetatio, entitatis essentia.

II. Veritas.

Cuius veritate omnia vera sunt, quia si Deus vere non esset, nihil esset verum, unde ipse veritas est ipsa; de cuius fonte alia plus et minus, eminentius et summissius sunt in ordine rerum, ut de illius veritate magis atque minus participant. A quo quanto amplius elongantur ad infimum naturae scalae gradum appropinquantia, minus habent veritatis et plus vanitatis, usque ad fundum scalae, quod dicitur vanitas, malum, tenebrae: simpliciter vero vanum nihil est positivo, adversum simpliciter verum. Ipsum est unum, quemadmodum in omni genere maximum est unum; et haec veritas est unum simpliciter atque super omne genus maximum, consequenter ipsa maximitas, qua in singulis maximum et verissimum est unum generibus. Omnia quae sunt infra maximum et sub maximo, infra simpli|ci- **474 G**
ter verum, sunt participatione vera, id est participia veritatis, et propterea in illis coniicere est distinctionem in- **70 M**
ter participans quod est non veritas, et participatum quod est veritas: participans quidem, quod est sicut materia potentia receptiva et subiectum, et participatum, quod est natura et species. Ea ergo ratione, qua aliquid participat esse verum per veritatem, non est verum neque veritas, neque est nihil: propterea falso diceretur non ens simpliciter, sed est non ens secundum quid, quod appositissime appellatur vanum, unde divina est censenda illa sententia et valde metaphysica, quae est 'vanitati subiecta est omnis creatura', id est omnis natura procedens seu dependens. Absolute igitur et simpliciter verum et veritas est Deus seu mens.

5. 6 participent *G* 8 quod *M*: qui *G* 10 adversus *G*

III. Bonitas.

Cuius bonitate omnia sunt bona, sicut cuius veritate omnia vera, ut proxime dictum, mutatis tantummodo dictionibus. Sic enim et omnia praeter ipsum participia sunt mali, quia distinguuntur in id quod est bonum et id quo est bonum, ubi illud quod subiectum bonitatis seu esse boni non est bonitas neque bonum. In omnibus enim praeter primum est distinctio eius quod est et eius quo est, seu esse et essentiae. Bona autem tum naturaliter, quia a bonitate illius naturali omnia habent bonum esse naturale; et bonitate illius morali, quae est in institutione et respectu et actu ad creaturas rationales, omnia sunt bona bonitate morali. Et | haec est duplex: altera consistit in **71 *M*** lege insita in ordine naturae, in qua bonitate omnes gentes possunt consentire; altera quae consistit in ordine supernaturali, secundum quam bonitatem quidam tantum, quibus revelavit, boni sunt.

IV. Principivm.

Principium omnis principii, principium ante omne principium, a quo et post quod omnis ratio, vis et effectus principiandi demanat.

V. Cavssa. **475 *G***

Caussa omnium caussarum efficiens, per quam et propter quam, in qua et sub qua omnia caussant.

---

11 et *M*: ⟨tum moraliter,⟩ quia *G*   23 causarum *M*

VI. Elementvm.

Elementorum ordinator, dispositor, compositor et distinctor, unde primarum partium universi series et totius mundi constitutio et architecturae fabricatio derivatur.

VII. Materia.

Cuius operationi universalis materia subest, quam ad formationem omnium specierum ipse promovit, quamque subinde ad particularium generationem, iuxta innumerabilium individuorum vicissitudinem a subordinatis caussis peragendam, per aeternitatem seculorum destinavit.

VIII. Qvantitas.

Qui infinitus infinita potentia, sapientia atque bonitate, | infinito sibi subiecto in spatio, infinitamque poten- 72 M
tiam susceptricem sufficientissime foecundavit atque foecundat, ut sicut ipse est infinitus intensive, totus ubique, ita etiam pro captu inveniatur infinitum corporeum seu materiale, quod variis partibus, variis in locis spatium et materiae appetitum compleat et expleat.

IX. Qvalitas.

Expleat autem non solum magnitudinem atque certos fines unicuique praescribens, sed etiam potentias naturales atque facultates naturalesque dispositiones, quibus ad agen-

---

17 spacium *M*

dum et patiendum sint composita; rursum et figuras unicuique proprias atque formas insculpsit, inscripsit, insevit et appinxit, unde superficie tenus tanta rerum varietas tum mentem, tum sensum universum valeat oblectare.

X. Potentia. XI. Actvs. **476 G**

Hinc licet illius omnipotentiam activam, qua omnia sunt producta, vegetant, vivunt, moventur, inspicere; ubi omnia, tanquam inferiora sub uno activo principio superiore ordinata, exponuntur, subiiciuntur, assentiunt, adstipulantur, obediunt, ulla absque contradictione, non aliter quam lutum sub manu figuli, lignum sub manu fabri lignarii, et unaquaeque materia disposita est sub voto et defini|tione proprii opificis; qua stante inter potentiam **73 *M*** illam activam atque hanc passivam relatione, respectu atque consensu sequitur ista entelechia, iste actus, haec apprime commendabilis constitutio in universo et in partibus universi.

XII. Perfectio.

Quae omnia ita sunt constituta, ut melius non ullo pacto constitui possint et ordinari, quando unicuique pro sua capacitate et propriae speciei conditione, pro natura, virtute, actione, susceptione, formatione, duratione est elargitum, quandoquidem ex conditionibus materiae subiectae tum secundum speciem, tum secundum numerum, nihil est quod a quoquam possit vel digne adimi vel digne apponi, iuxta quem sensum dictum est a Mose, omnia esse

---

7 vegetantur *corregge* (*cf. p.* 73, 24) *G* 9 *sq.* adsentiunt, adstipulantur *G* 25. 26 apponi *G*: opponi *M*

valde bona; haud quidem si ad singulorum votum et appetitum spectemus (quandoquidem singula in praesenti specie et numero desiderant perpetuari), sed si ad ipsius universi ordinem spectemus.

XIII. Cognitio.

Ipse est lux, tum omnia videns, tum omnia videre faciens, quem nihil latet; quia quemadmodum quaecunque sunt, illius praesentia sunt, quo absente nihil esset. Ita et quaecunque cognoscunt, vident, cognoscuntur atque videntur, sub illius lumine claritatem atque evidentiam concipiunt, cuius cognitio neque sensus est, sed sensum faciens, **74 M**
neque ratio est, sed rationem ordinans | seu promovens, **477 G**
neque intellectus rationis opus consequens, sed mens omnem intellectum, rationem atque sensum antecedens et superastans, lux inaccessibilis omnem lucem terminans a nullo terminata.

XIV. Volvntas.

Hac cognitione et luce praevia omnia cognoscente atque distinguente et uniuscuiusque rei captum atque dignitatem cognoscente, succedit actus illius voluntatis omnia perficientis et ad bonum optimumque finem dirigentis, promoventis et perducentis; quae sane voluntas, cum omnipotens sit atque omnisciens, non potest irregularitate ulla praevaricare, quin potius ipsa est ipsissima regula, rectitudo atque iustitia.

---

14. 15 superans *G* 21 praevaricari e (*forse per errore tipografico*) quia *G*

XV. Relatio.

Ipse in sua absoluta natura, essentia atque substantia, simplicitate, immaterialitate absconditus, occultus, sibique soli notus, nulli vel attingibilis creaturae innotuit per respectum, habitudinem et relationem illam, qua se ipsum rebus communicat, diffundit et quodammodo impertit, unde nomen habet creatoris, patris, domini vel dominii, pulchritudinis, optimi maximi, potentissimi, sapientissimi etc. Sub quibus rationibus ipsum crea|turae cognoscere licet, et ipsius actuale esse necessario inferre; si quippe sunt pulchre facta, mota, ordinata, concordantia, oportet esse unum concordantem, ordinantem, moventem et exornantem necessario, quemadmodum ex sensu fluminum et plantarum sensum fontium et radicum colligere cogimur. Itaque duplici respectu existente, altero quo Deus ad possibile se inclinavit, et altero quo possibilia et effecta ad Deum ordinantur seque extollunt, primum quidem mundus est productus a Deo, secundo Deus cognoscitur a mundo. **75 *M***

XVI. Actio.

Actio illius, ut consequitur essentiam atque potentiam, est infinita et subiectum requirit infinitum, quam quidem esse necesse est, ut omnes tum theologi, tum principes philosophantes intelligunt; sed illius actum quidam collocant in ipsa divinitate, ut infinitum patrem infinitum generare filium asserant, nempe infinitam mentem infinitum intel- **478 *G***

26 infinitam mentem, infinitum intellectum *MG*

lectum, et ex hac relatione patris et filii cognoscentis et cogniti, vicissitudinalique quadam seu vicissim commeante relatione, complicentia illa cognoscentis et cogniti propter compertam infinitam pulchritudinem, quam pater in filio, filius in patre unicam contemplatur, sequatur infinitus ille amor utriusque nexus, ita ut non sint tria numina substantialiter distincta, sed unus Deus se ipso se ipsum **76 *M***
cognoscens et amans.

XVII. Passio.

In quo nulla passio, sicut nulla passibilis qualitas, nulla materia, nulla physica subiectio, nulla receptio propter simplicissimam activitatem et actualitatem possimus asserere. Haec enim omnia eorum sunt, quae corruptioni sunt obnoxia. Passio enim via est ad alterationem, alteratio tandem ad corruptionem perducit, neque perfectiva passio illi congruere potest, qui nihil habet quod ab alio accipiat.

XVIII. Dare. XIX. Accipere. XX. Habere.

Ipse est fons, a quo emanat omne donum. Aperiente enim illo manum suam omnia implentur bonitate, id est entitate, veritate, perfectione, a quo omnia accipiunt quidquid habent. Sicut enim nulla natura est ex se praeter illam, ita neque aliquid habet a se, sed totum ab illa, unde et consequenter nihil eorum omnium, quae sumus, aliquid tanquam nostrum habemus, sed illius sunt et nostra et nos ipsi. Ideoque ipse absolute est Dominus, ipse omnes divitiae et omnis plenitudo, cui nihil deest substantiae, boni-

---

3 complicentia (*cioè* complacentia) *M*: ac complicatione *G* cognoscentis *G*: cognoscentes *M* 6 ut *om.* *G* 12 *sq.* possit asseri *emenda* *G*

tatis, virtutis, magnitudinis, perfectionis, | cognitionis etc.; **77 *M***
nihil item adiici potest vel apponi vel supererogari, cui in-
violabiliter omnia | constant, a cuius potestate nihil eripi, **479 *G***
adimi vel defraudari possibile est.

XXI. Medivm.

Qui haec inferiora omnia mediantibus superioribus caussis in actum producit et corporea per medium spiritualium vivificat, servat, format, ad cuius contemplationem mediante sensu rerum cognoscibilium et effectuum ipsius omnipotentiae conscendimus, cui praesentissimo rebus omnibus non accidit rerum cognitionem et gubernationem et conservationem et productionem perficere certis mediis vel mediantibus, sed omnia per se ipsum in omnibus adimplet et in suo fine constituit, ad quem habemus accessum certis, quae ipse supernaturalibus vel extranaturalibus modis ordinavit, non tanquam ad eum qui a nobis absit, sed tanquam a quo nos quodammodo abesse contingat, unde evenit ⟨ut⟩ creatura ad illum per certa media tanquam elongata dirigatur, ipse vero rebus sine medio providet et assistit; non tamen ita ut omnia iuxta proprias rationes Deum possimus appellare, ut quibusdam accidisse conspicimus, sed Deum intelligamus in omnibus et omnia in Deo non eodem modo; Deus in omnibus tanquam continens, in Deo tanquam contenta ab eo, sicque Deus in omnibus immediate, in Deo omnia non immediate.

---

6 Qui] Vi *M* 15 *forse* certis ⟨mediis⟩ 18 ut *G*: *om.* *M* 19 elongata, dirigatur *G* 20 provideat et assistat *G* tamen] amen *G*

XXII. Instrvmentvm. **78 *M***

Quaecunque definitam habent naturam, illius sunt instrumentum, ipse vero nullius; nemo enim agit ipso, sed ipse agit omnibus, licet in rebus ordinem quendam comperiamus, ut pauca habeant rationem finis atque perfecti, quae videlicet ad naturam et nobilitatem divinam propius accedunt, de quibus improprie dicitur instrumentum esse, proprius vero medium et mediatorem. Est autem instrumentum multiplex et medium, quod descendit ad sui communicationem, licet eadem sit virtus, quae modo dicitur spiritus omnia vivificans, | modo verbum omnia reve- **480 *G*** lans, modo virtus omnia movens, modo lux omnia exornans, modo ignis omnia accendens, et affectu quodam beatifico replens; ista sunt veluti instrumenta summi illius artificis, quibus universam materiam in ordinem tantae constitutionis fabrefactam esse constat. Instrumentum materialiter illius (ut more prophetarum loquar et metaphorice) est orbita coeli, quae illius adacta pulsu vertigine sua omnia haec inferiora efformat atque figurat, eaque varie exagitata usque adeo varia, sicut figulus ex una argilla infi|nitorum vasorum innumerabiles species effingit. **79 *M***

XXIII. Finis.

Ipse solus ultimus est finis simpliciter, ad quem omnia tandem ordinantur. Simpliciter est finis, quia non est medium, absolute finis, quia ita est ultimus ut etiam sit primum principium, ita etiam finis ut coincidat cum princi-

2 Quaecumque *G* 8 proprius *M*: magis proprie *G* 11 replens ista *M* 20 varia *M*: variat *forse senza necessità G*

pio, ut etiam adsit omni medio. Est finis, inquam, quia finita omnia, nihil ipsum; est finis, quia infinitus virtute, ne habeat finem potentiae; duratione, ne habeat finem temporis; essentia, ne habeat finem substantiae seu definitionem. Licet habeat differentiam ab omnibus, non tamen ita differt ab omnibus, sicut singula a singulis, quia unum non est hoc quod est alterum, et propterea quodammodo videtur sepire unum ab altero propriis differentiis. Differt vero ab omnibus, non tanquam septus ab illis, sed tanquam continens illa essentia, praesentia, virtute, aeternitate. Ea enim, quae inter rem et rem differentiam constituunt, inter Deum et rem differentiam non constituunt. Differentiam enim inter ea esse dictum est, quae aliquo sunt convenientia pacto; creatum vero et creator differunt plus quam genere, plus quam substantia et accidens distare possint, et diversorum variorumque generum accipere rationem queant.

XXIV. Contrarietas. **80 *M***

Illi nihil est contrarium, sed omnia contraria illi | sunt **481 *G*** subiecta ex contrariis omnia facienti. In scala enim naturae sub contrariis est materia una et eadem omnia suscipiens, et supra contraria unum efficiens, omnia contemperans, concordans atque coordinans; sicut materialiter idem est minimum frigidum et minimum calidum, minimum pulchrum et minimum turpe, minimum album et minimum nigrum, minimum sensibile et minimum insensibile, item maximum album et minimum nigrum, ut infra utrumque terminum vel utriusque terminus sit unus,

2 finita *M*: ⟨ipso⟩ finit *G*: *forse* ⟨finit⟩ finita *o semplicemente* finit
13 Differentiam *G*: Differentia *M* 27. 28 infra ⟨eundem⟩ utrumque *G*

principium huius et finis illius. Ubi enim est motus et alteratio, perpetuo extremum unius est initium alterius contrarii. Itaque maximum et minimum vel sunt unum vel maxime unita, principium et finis, calidum et frigidum, et omnia contraria. Hoc si in materia contingit, quanto magis in virtute efficientis inspicere est necesse.

XXV. Oppositio.

Illi sub conceptu lucis inaccensibiles oppositae sunt tenebrae, tanquam e diversa regione, ut tenebras intelligamus rerum potentiam passivam, lucem poten|tiam activam; **81 *M*** tenebras materiam, lucem actum; tenebras foeminam, lucem marem. Et per consequens sicut perfectioni opponitur imperfectio, infinito negative infinitum privative, fini illud quod est ad finem, bono appetitus, vero potentia cognoscitiva, pulchro amor pulchri; ita, tanquam ortus et occasus, vita et mors, bonum et malum, oppositionem licet in rerum natura comperire.

XXVI. Intentio.

Ad ipsius cognitionem ascendimus per creaturarum et effectuum ipsius vestigia contendentes; propterea speciem illius magnitudinis nulla intentione comprehendere possumus, qua pro rei dignitate formemur, sed solum quasi ad illam lucem progredientes et adnitentes amplius atque amplius possumus ab inferioribus rece|dendo conscendere, **482 G**

---

8 inaccessibiles *G* 11 faeminam *M* 22 informemur *G* 23 adnitentes *G* : admittentes *M*

non tamen ad inaccessibilem illam altitudinem pervenire, iuxta illud 'attenuati sunt oculi mei aspicientes in excelsum' et 'ascendit homo ad cor altum et exaltabitur Deus.'

XXVII. Conceptio.

Sicut ad illum non datur accessus neque adhaesio neque aperta visio neque comprehensio, ita neque conceptio; quid enim concipere possumus, nisi quod apprehendimus et ad quod attingendum pervenimus? Quod ergo intentione non pulsavimus, non tetigimus, | neque com- **82 M**
prehensione complectemus. Ipse vero non intendendo, quasi emigratione quadam et emissione et progressu seu discursu ad rerum intuitum et comprehensionem manuducitur, sed omnimoda praesentia universa in se ipsis non aspicit modo, sed et inspicit, sicut non astat modo rebus, sed et instat; instat autem non ut comprehensus ab illis atque contentus, sed ut comprehendens et continens illa, atque ut omnium essentiale fundamentum atque centrum vitae et substantiae universae.

XXVIII. Nomen.

Innominabilis est. Ea enim possunt nominari, quae et definita sunt; quorum vero non est finis neque terminus neque certificata natura, quod putas esse nomen? Illi subinde omne esse convenit, quia est rerum omnium essentia, item virtutum et praedicatorum omnium fons, et

---

2 attenuati *G*: attentati *M* 3 et ascendit *M*: item accedit *G*, *che aggiunge in nota le citazioni* (Esaj. 38, 14. Psalm. 63, 7) *dei due luoghi biblici* 8 *manca l' interrogativo in M* 10 complectemur *G* 14 adstat *G*

quidquid dicitur secundum bonitatem et magnitudinem, de eodem dicitur per excellentiam, quatenus eidem nomina omnium actuum et essentiae omnis conveniunt. Iam quinam erit potens unum nomen effingere vel proferre, quod virtutem nominum omnium referat? Quis item in catalogum rediget omnia rerum nomina cum | virtute ad significandum **483 G**
eam illarum substantiam, quae antecedit omnia, cum ne unam quidem unius rei particularis substantiam cognosci- **83 *M***
bilem habeamus vel nominabilem? Rursum quod ad virtutes attinet et actus distributive recensendo, quod volumen poterit nomina pro eorum sufficientia complecti? Deus igitur aut nullo nomine aut omnibus nominibus erit significandus. Est enim omnia in omnibus, quia dat esse omnibus; et est nullum omnium, quia est super omnia, singula et universa essentia et nobilitate et virtute praetergrediens. Ut autem omne esse supereminet, continet, effundit atque conservat, ita omnia, quatenus sunt extra ipsum vel aliud ab ipso, sunt vanitas, nihil, non ens; relinquitur ut ipse sit solum ens, et hoc est nomen quod ipsius maxime possumus efferre et quod auditum et revelatum accepimus, ut appelletur 'qui est' vel 'quod est.' Omnia enim reliqua ab ipso sunt quod subest vel quod deest vel abest.

XXIX. Ordo.

Ipse et pater est omnis ordinis, sicut et productor omnis multitudinis. Ipse fecit gradus in rebus, ipse unumquodque ad suum terminum per certas methodos, media atque vias adducit, ordinem faciens extra se ipsum, sicut numerum et figuram et momentum pro rerum innumerabi-

6 significandam *G* 9 *manca l'interrogativo in MG* 10 recensendos *G* 14 omnia singula *M* 26 methodus *M*

lium diversitate et | ornamento constituit. Per hunc eun- **84 M** dem ordinem ad illius contemplationem pervenimus; ut, quia in ordine potentiae est potentissimum, in gradibus sapientiae sapientissimum, in serie pulchritudinis pulcherrimum, maiestatis maximum et optimum, non est dubium unicuique ordini praepositum esse unum, et super universorum omnem ordinem monadem istam ordinatricem, quae cum simplex et unissima sit, in se ipsa ordinem nullum admittit (qui enim fatuus ordinem illic intelliget, ubi nulla est distinctio nullusque | numerus?), sed est ipsa unitas super **484 G** omnem multitudinem, varietatem, distinctionem absoluta.

XXX. XXXI. Prius et Posterius.

Ipso nihil prius, quia est principium super omne et ante omne principium; ipso nihil posterius, quia nullo pacto ad aliud finitur, neque tanquam ordinatum ad ipsum tanquam finem perfectionis, neque tanquam desinens in ipsum tanquam in finem consummationis vel durationis, sed ipse est ipsa optimitas, quae omne bonum terminat, et qua optimum omne in unoquoque genere est optimum, et secundum quam est unum optimum super omne genus, quod idem est ipsa optimitas. Cumque sit ipsa aeternitas, includit et terminat omnem durationis differentiam atque temporis, finit omnem omnium transitoriorum durationem non finitus; ea item quae aeterne durant, | ipsius ae- **85 M** ternitate durant. Non ergo habet principium neque finem, sed ipse est sine principio atque fine unicum et universale principium atque finis, et consequenter primum et postremum omnium, quo nihil prius neque posterius.

---

2 ut *M*: nam *G* 5 ⟨in⟩ maiestatis ⟨serie⟩ *G* 9 intelligit *G*
16 ⟨ad⟩ finem *G* 21 Cumque *M*: Quumque *G*

XXXII. Simvl.

Ea omnia, quae in rerum natura sunt explicata, dispersa, distincta, ordinata, differentia, in eo omnia sunt, non, inquam, unita, concordantia, convenientia, sed sunt unum, sunt idem, sunt ipsa unitas, sunt ipsa identitas. In ipso enim, sicut proxime dictum est, nulla est distinctio, nullus est ordo intrinsece, sed haec omnia sunt ab ipso. Propterea magis in ipso concurrunt, quam in unitatem quandam suppositi omnia possunt concurrere praedicamenta et in unitatem corporis omnia membra. In his enim ea cadit distinctio, ut membra diversa atque partes ita sint simul, ut continuatione quadam, connexione, agglutinatione et ordinatione quadam consistant et mutuo adnectantur.

XXXIII. Idem. **485 G**

In Deo vero non concurrunt universa, nempe universorum essentia, virtus atque momentum in unum ordinatum corpus, in unam subiectam materiam; sed quemadmodum omnis numerus in substantia unius unitatis consistit, et vicissim unitas est omnis numeri sub|stantia, et omnis **86 M** numerus citra unitatem nihil est, et in substantia unitatis est omne quod est, sequitur numerum in unitate non esse collective seu congregative seu compositive, sed in simplicitate quadam, unitate, identitate; sicut in centro sphaerae dimensiones, dimensiones omnes sunt unum et idem, minimum latum, minimum profundum minimumque lon-

---

3 eo *M*: ipso *G*   10 his *M*: haec *G*   24.25 sphaerae [dimensiones] dimensiones *forse a ragione G*

gum non differunt, sed sunt idem; nec non in infinita sphaera maximum latum, maximum longum et maximum profundum sunt undique unum. Ita in ipsa infinita monade, omnia complectente quae numeris comparantur, omnia in simplicitate et unitate et identitate sunt examinanda.

XXXIV. Diversum.

Hinc sequitur in illo nihil esse diversum, quemadmodum a categoria distinguitur summum genus a summo genere, aeternum a corruptibili, imaginale a reali etc.

XXXV. Differentia.

Neque differentia, quia non est genus, neque continet omnia sicut genus suas species, cuius etiam esse dependeat a speciebus. Neque etenim est universale in praedicando, sed in caussando et in essen|do. Propterea neque **87 M**
differentias in se ipso secundum hoc genus potentiae in se continet, neque huiuscemodi differentiis ab aliis distinguitur, tanquam in uno genere sit cum illis, vel ex aequo divisivis oppositis differentiis ab eodem genere dependeat, atque aliquid aliud, sed ipse est qui omne genus, omnes differentias et omnes species constituit physice, unde dependeat illa logica constitutio.

XXXVI. Proprietas. **486 G**

Habet proprietatem, qua omnia praedicata perfectionis (quae significant perfectionem) de illo dicuntur essentialiter, superlative et infinite, de reliquis vero dicuntur

participative, finite et comparative; non habet proprietates secundum aliquod genus eorum, quae in capite De proprio sunt enumerata. Non enim illi sunt propria quae sunt fundata super specie vel super forma substantiali, vel quae formam substantialem consequantur, sed quod convenit illi soli et semper, immutabiliter, independenter, per se et secundum se; propria vero aliorum sunt dependenter, sicut et omnia dependent. Et in isto proprium, species, essentia et natura sunt unum et idem, in reliquis vero proprium est primum essentiae vestigium seu essentialis differentiae signum, sicut ridere | est signum rationalitatis; **88 M** sed proprium divinitatis est ipsa divinitas et non aliud neque alterum quid, licet noster concipiendi modus ordinem quendam sibi constituat, et nominum seriem quandam ad similitudinem eorum, quae nobis offeruntur, concelebret, et de Deo prius quaedam dicat, quaedam vero posterius, quaedam ut absolute, quaedam ut respective significantia, quaedam ut interiora, quaedam ut exteriora; quae in subiecto non faciunt neque testantur varietatem magis quam ab uno sole et circa unum solem diversa propria diversitate diversimode afficiuntur, sole diversimode in omnibus operante seque omnibus communicante, et ut diversum quiddam ab omnibus iisque diversis participato, uno in se ipso existente et immutabili.

XXXVII. Genvs.

Dictum est ipsum esse omnis generis fontem et principium ante omne genus. Propterea neque genus esse potest, neque in genere, neque ex genere quidpiam. Est tamen

5 consequuntur G

similitudinem admittens naturalis generis, quatenus ab eo dicuntur genus habere omnia et | pater dicitur omnium, non **487 G** tamen secundum eam univocam rationem, qua Ilus ducit genus ab Hercule, sed qua opus ab opifice. Theologi ipsi viderint de illa univoca generatione, qua pater aequalem sibi filium genuerit et gignat.

XXXVIII. Species. **89 M**

Neque modos ullos speciei iuxta rationes atque modos enumeratos citra praeiudicium et blasphemiam ei possumus appingere. Neque enim est species metaphysica seu idea rerum, neque species physica seu forma in rebus, neque species logica seu forma ex rebus communis pluribus (nempe essentia pluribus in particularibus comperta), neque artificialis vel ad artificialis speciei similitudinem exemplaris; imo neque per exemplarem ullam, idealem seu metaphysicam, naturalem seu physicam, logicam seu intentionalem est repraesentabilis. Omne enim productum aegre producentis talis similitudinem poterit explicare melius, quam ensis sui opificis, domus sui architectoris similitudinem. Referunt enim illius potentiae activae vestigium, nihil vero quod ad illius substantiam et hypostasin attingendam confert.

XXXIX. Per se.

Iuxta tertium modum dicendi per se ea quae existunt umbram quandam referunt ipsius qui est per se. Reliqua enim omnia praeter Deum sunt per se, cum existant, cum

3 Ilus] *v. a. p. 61, 11* 10 idaea *M* 15 *sq.* per exemplar ullum, ideale seu metaphysicum, naturale seu physicum, logicum seu intentionale *G* 15 idaealem *M*

non sint accidentia; ut primae substantiae seu individua in genere substantiae, quae sunt per se, quia non sunt in subiecto aliquo, sicut accidentia, et propterea sunt per ipsum subiectum, neque dicuntur de aliquo, sicut genera et species, | quae dicuntur de individuis, et ideo per individua **90 *M*** sunt, quibus non existentibus ipsa non essent, ideo neque sunt per se entia. Istis magis per se sunt formae incorporeae et immateriales, quae ita sunt per se ut non sint cum alio, id est non com|posita, sed simplicia, pura, sola et **488 *G*** nuda, aliter quam primae substantiae, quae sunt compositae et indutae accidentibus et praedicatis, universalibusque intentionibus insignitae. Deus autem est ita per se ut non sit per aliud, neque cum alio, neque ab alio: non cum alio, sicut primae substantiae; non ab alio, sicut simplices proxime dictae formae; neque etiam a se ipso, cum sit indivisus et simplicissimus et secundum nullam rationem dependens.

XL. Secvndvm qvod.

Quia in Deo non distinguitur esse et essentia, quod est et quo est, et ipse est unum simplex et secundum omne idem, temere inquireremus in ipso quid dicatur secundum quod ipsum, quid non secundum quod ipsum, eo modo quo in iis quae sunt aliquo pacto composita licet efficere. Hoc tantum ex nostro concipiendi et disserendi modo accidit, ut quaedam intelligamus absolute significare divinitatem, sicut veritas, unitas, bonitas, entitas; quaedam vero respective, sicut providentia, iustitia, dominatio, conser- **91 *M*** vatio; itaque quaedam intelligamus illi convenire secundum quod ipse, quaedam vero secundum quod alia ab ipso.

---

21 inquiremus *G* 22 modo *G*: malo *M*

XLI. Motvs.

Substantia omnino immobilis, nullis vicissitudinibus obnoxia, quam consequitur eiusdem generis potentia et actio. Licet enim quaedam fieri videamus quae prius non erant, et ipse mundus, ut creditur, ex nihilo noviter sit productus, ex hac effectuum mutatione et novitate actionis illius et potentiae mutatio non arguitur, quandoquidem supra omnem motum et omnem vicissitudinem motor ille immobilis in aeternitate existit. Neque enim, sicut artifices et principia materialia, mutatis dispositionibus, ad novam voluntatem, facultatem et effectum promovetur, sed ab instanti aeternitatis, | quod est immobile, supra tempus et **489 G** supra mutationem facit id quod fit in tempore, in mutatione, in motu, in vicissitudine; imo et facit ipsam vicissitudinem, ipsum tempus, ipsum motum, sine motu, vicissitudine et tempore. Neque enim ante et supra motum et tempus semper est motus et tempus; ibi est divinitas immutabilis et invariabilis, qualem oportet esse motum et mutationem faciens. Inde immutabiliter facit mutabilia, | aeterne temporalia, simul in aeternitatis instanti **92 M** facit vicissitudines, in se ipso nihil horum admittens, sed haec a se ipso producens. Stat ergo, quod ab aeterno voluerit nunc esse quod nunc est, mutationem patiente effectu et faciente caussa, non autem patiente seu recipiente. Quod subinde nunc factum est, prius futurum erat, postea vero erit praeteritum, unde mutatur orationis vis; oratio enim de futuro, nempe quod essem hodie scripturus, transibit in veritatem orationis, quod hodie

---

17 semper *om. G* ⟨sed⟩ ibi *G* 18 qualis oportet sit *emenda G*
24. 25 recipiente, quod *M*

scripserim; quae mutatio in facto et ratione humana non attingit mentem divinam, in qua videlicet haec enuntiationis vicissitudo et ordo triplicis sit constituenda: nempe illi antea erat verum 'Socrates scribet', deinde eo scribente ea falsa facta est et haec vera 'Socrates scribit', demum duae illae orationes [de praeterito] de futuro et de praesenti falsae sunt effectae vera existente hac 'Socrates scripsit'. Non secundum hunc modum, quo mutatio facta est circa scripturam Socratis et circa enunciationes de scriptura Socratis, quae humanum sensum et rationem sequuntur, ita est in mente divina, quae scripturam Socratis in eo instanti vel tempore, quo est absolute citra rationem praeteriti, praesentis et futuri, comprehendit. Itaque non in illius scientia, sed sub illius scientia est motus, non in illius operatione, sed sub illius operatio|ne **93 M** est motus; quia, ut proxime dictum est, ante omnem motum et supra omnem motum non licet intelligere motum.

XLII. TERMINVS. **490 G**

Quoniam vero omnis motus est a termino et ad terminum, nempe a quo et ad quod, item e converso nihil adtingit terminum ad quem et praeterit terminum a quo sine pertransitione medii vel physici vel mathematici vel metaphorici: sicut in Deo non est motus, ita etiam in suis operibus non est ratio termini a quo et termini ad quem, sed quia est supra omnem motum et omne tempus, ipse potius est terminus motus et temporis. Terminus autem a quo efficienter, non autem localiter et aliis modis, quibus terminus est contractus, coniunctus et innatus rebus qua-

---

3 triplicis vicissitudo et ordo sit *G* 6 *le parole* de praeterio (*sic M*) *furono cancellate da G* 8 serpipsit *M* 20 quod] *forse* quem

rum est terminus, et reductive est in eodem genere cuius est terminus, sicut punctus est terminus magnitudinis, unitas numeri etc.

XLIII. Necessitas.

Eius voluntas est ipsa necessitas et necessitas est ipsa divina voluntas, in qua necessitate non praeiudicatur libertati, quandoquidem necessitas et libertas unum sunt. Necessitas enim necessitati non est necessitas, rursum supra necessitatem non est necessitas, sicut supra libertatem non est libertas. Ibi ergo libertas facit necessitatem et necessitas conte | statur libertatem. Quae enim vult immutabilis substantia, **94 M** immutabiliter vult, hoc est necessario velle. Quia vero non vult necessario aliena voluntate faciente necessitatem, sed propria voluntate, multum abest ut haec necessitas sit contra libertatem, quin potius ipsa libertas, voluntas, necessitas sunt unum et idem.

XLIV. Vbi.

Divina item essentia ita est alicubi, ne intelligatur inclusa, contenta vel contracta loco. Dicitur non alicubi, ita ut non intelligatur exclusa, sed utrumque licet proferre eo sensu, quod non est in loco circumscriptive et quod est in loco definitive et repletive; | haud quidem repletive, **491 G** sicut corpora sunt in suis spatiis, sed quia nusquam abest, dando spatio esse spatium, corpori esse corpus, et corpori esse in spatio dando, item his quae non sunt in loco non esse in loco, spiritualibus esse spiritualia, corporalibus

2 punctum *G*

esse corporalia, et tandem omnibus esse id quod sunt; atque ita est ubique, sicut ubique est aliquid, quia ipsum quodcunque est ipse est. Sicut enim essentia, qua res sunt, non potest esse extra res, neque res ab ipsa divelli plus quam a se ipsis, ita divinam praesentiam nihil effugit magis quam se ipsum possit effugere. Itaque est ubique, si infinitum | est spatium, et si infinitum naturae gremium **95 M**
ubique pariter foecundum, ut ratio dictat omnis; cui si qua fides contrariatur, stabit nihilominus divinitas in suo vigore infinitae potentiae et foecunditatis finitam exiguamque prolem contra infinitae bonitatis et veritatis naturam effectrix.

XLV. Qvando.

Simili ratione, qua est ubique totus, est etiam semper, eadem qua non astringitur loco et locorum seriei ratione, neque durationis ullis astringitur vicissitudinibus. Sicut ergo non est ipse ubique, sed et ipsa est ubiquitas et omnipraesentia, ita non modo est semper, sed etiam est ipsa sempiternitas. Et sic est absoluta super omnem durationem duratio, quemadmodum et super omnem motum atque locum.

XLVI. Sitvs.

In eo quemadmodum non est compositio partis et partis, neque membrorum ordo neque series, sed ipse est ipsa

---

6 ipsam *G* 8 *e* 10 faecundum *e* faecunditatis *M* 11 *omette* naturam *e traspone* contra *innanzi a* finitam *G*: *noi non vediamo emendazione sicura* (*forse è da mutare* effectrix *in* efficiens) 15 *e* 16 adstringitur *G* 17 est ‹modo› ipse *con ragione G*

simplicitas, unitas et absolutio, ita neque situm illi licet attribuere quempiam; sed super omnem situm existens situs situm rebus indicit, efficit et conservat, dispositionem nempe rebus corporalibus, quem videmus ab illius voluntate et efficacia provenire, cognoscunt | omnes. Situs ergo **492 G** in eo est tanquam in principio activo, non autem subiective, quemadmodum et omnes quae propriae sunt corporibus et multitudini affectiones. Quod vero prophetae illi oculum, dextram, pedes, aures, caput et similia attribuunt, moxque stare, sedere, surgere, inclinari, satis vulgatum est quemadmodum metaphorice per haec significentur cognitio, operatio, superastantia, succurrere rebus, reparare, cessare a quibusdam effectibus; non quia in ipso sint istae actuales differentiae vel istae mutationes, sed harum differentiarum activitas et efficientia, qua ipsum modo rerum nobis cognoscibilium et sensibilium se habere sensus humanus apprehendit. **96 M**

XLVII. Comparatio.

Ipse super omnem ordinem, super omnem seriem, omnis seriei et ordinis auctor, nullam recipit cum rebus quae ab ipso proficiscuntur comparationem. Mitto quod inter finitum et infinitum nulla est proportio, sed praedicata quae sunt communia aliis atque illi, sicut bonitas, aeternitas, veritas, non univoca ratione de aliis atque de ipso dicuntur, sed, sicut aeternum et corruptibile, finitum et infinitum, differunt plus quam genere. Sicut ergo non comparamus carbonem nivi, dicentes hunc nigriorem illa,

---

4 nempe, quam rebus corporalibus videmus *G*: *o sarà da ammettere una lacuna innanzi a* quem? 12 superadstantia, ⟨item⟩ succurrere *G* 14 actuales *G*: tituales *M* 18 XLVIII *G*

illam vero hoc albiorem, quia comparatio est inter ea quae sunt eiusdem generis et eiusdem sunt susceptiva praedicati, quod secundum | gradus uni, secundum alios alteri at- **97 M** tribuatur; ita multo minus bonitatem divinam vel aliud quidpiam bonitati alicuius rei finitae comparabimus, cum qua nihil praeter nomen habet commune. Secundum rem vero maior concordantia est et convenientia inter album et nigrum, quae sunt in eodem genere et quibus eadem materia subiicitur, quam inter bonitatem hominis vel angeli et bonitatem Dei, quae in nullo communicant genere, quia illa supra genus est. Maneant ergo comparationes, ut sunt ex|pressae a divinis, si quae sunt, sub ratione **493 G** aequivoca vel diversivoca, qua nomen boni, veri, pulchri et huius generis aliorum aequivoce de illo et de istis proferuntur. Ideo cum consuevimus dicere Deum Opt. Max., si metaphysice et non grammatice loqui volumus, non proferimus comparative neque superlative, quasi in supremo gradu comparatorum inveniatur, sed tanquam supra et extra scalam eiusmodi.

XLVIII. Comprehensio.

Comprehendunt corpora corporalia, loca locata, ita ut comprehendens sit extra et supra comprehensum, ne sit intra et profunditatem comprehensi. Divinitas vero omnia comprehendit, ut et quodammodo comprehendatur ab omnibus, ita tamen ut ea ratione, qua comprehendit, comprehendatur, et qua com|prehenditur, comprehendat: cuius com- **98 M** prehensio aequivoce dicitur cum comprehensione aliorum. Comprehendit ergo omnia non exclusus et quasi seorsim

15 Ideoque *G*   17 proferemus *G*   22 ne *M*: nec *G*   23 et *om.* *G*

eminusque prospectans, quia comprehenditur ab omnibus etiam; comprehenditur quoque ab omnibus non quasi inclusus et contentus atque repressus finibus alienis, quia etiam comprehendit omnia. Est ergo intra omnia, ut qui essentiam dat omnibus et fundamentum est omnis esse, cor et fons omnis vitae; comprehendit omnia tanquam superexcellens, gubernans, movens et disponens et finiens ipse infinitus. Passive autem quoque non secundum actum cognitionis comprehensibilis est, nisi extento comprehensionis latiusque significante vocabulo; sed fortasse attingibilis, sicut in capite De cognitione dictum est, abusive quidem capiendo actum comprehendendi pro actu attingendi.

XLIX. Avctoritas.

Ipsius nomen, actionem, providentiam, praescientiam, voluntatem et naturam non debemus propriis rationibus et ingenio metiri; temerarie enim, nec citra blasphemiam et nostrae animae praeiudicium, ea quae sunt supra ⟨ra- **494 G**
tionem ad⟩ rationis examen revocantur, quasi nostro alligantes tribunali caussas aeternitatis; sed cum serio et theologice agere volumus, cum formidine et reverentia summa, quam possumus simplicissime, cum eorundem verborum simplicitate, ea sunt de ipso pronuncianda, quae ipsius revelationis auctoritate consistunt.

L. Fides. **99 M**

Hanc auctoritatem sequitur fides, nempe certitudo quaedam infallibilis, qua ea revelata et divina voce pro-

5 det *e* sit *G*   9 extenso *G*   18. 19 rationem ad *G*: *om. M*
19 *avrà voluto* revocamus   21. 22 *senza interpunzione M*

ducta certiora habeantur (si non in eodem certitudinis gradu), quam quae sensibus sunt manifesta, et ipse habitus primorum principiorum. Atque ita extra sensus et rationis principia sunt censenda, ut supra haec ipsa intelligantur, non contra, ut non secundum rationem et humanam conditionem agamur, sed ut in divinam similitudinem et sapientiam efferamur, ut per hanc fidem ad illam intelligentiam promoveamur. Differt haec fides theologica a philosophica, quia haec per naturalia et nobis innata hominem in suis naturalibus et per sua naturalia perficiendum assumit, illa vero per supranaturalia principia ad supernaturalem finem manuducit, si ipsa est in negotio veritas divina, non autem sub usurpato nomine daemonum vel hominum impostura.

LI. Evidentia.

Evidentia alia est in virtute proprii luminis sensus oculorum atque discursus, et hanc quaerimus in scientiis speculativis, artibus, item in activis seu agibilibus circa eligenda et fugienda, qua humana ratione et lumine naturali apprehendimus verum et falsum, bonum et malum; alia est in virtute alieni luminis, nempe divini. Sicut enim
evidens est Deum non | decipere nec decipi, item non esse **100 *M***
invidum, sed summe bonum, quin imo ipsam veritatem et
bonitatem; ita cum de occultis nobis | loquitur, absque ulla **495 *G***
haesitatione evidens esse censendum est, quidquid ille proponit credendum, esse verum, et quidquid proponit faciendum, esse bonum. Sed hic ne sit locus deceptioni per misanthropos daemonas, hoc principium est tenendum firmiter,

---

27 *sq.* misantropos *M*

quod Deus est auctor naturae, sensus et oculorum et eius veritatis et evidentiae quae est in ipsis et secundum ipsa; proinde quod veritas veritati non contradicit, et bonitas bonitati non contra ponitur, et verbum Dei quod effunditur per articulos naturae, quae illius manus est et instrumentum (natura enim aut est Deus ipse, aut divina virtus in rebus ipsis manifestata), non opponitur verbo Dei, quacunque ex alia parte vel principio proveniat.

INTELLECTVS SEV IDEA.

Vulgata est comparatio apud Platonicos ex Aegyptio-
rum disciplina, qua divinitas triadem quandam supranatu-
ralem complectatur in unitate, quemadmodum in sole est
substantia, lux et calor, et haec tria secundum duplicem
modum contemplamur in illo. Est quippe eius substantia
absoluta et propria et per se, est et vestigium eius sub-
stantiae, quo alia | substantialiter constituit pater genera- **101 M**
tionis. Subinde est lux in sua substantia radicata, quae
effundit, immobilis in eo perseverans. Est et lux quae ef-
funditur et communicatur et attingit exteriora omnia vi-
vificando. Rursum est calor in ipso subiecto proprium ac-
cidens, est etiam calor, quod a subiecto diffunditur et e
vestigio in rebus calefactis pro singulorum capacitate re-
peritur. Ita in divinae substantiae simplicitate haec tria
possumus contemplari secundum similitudinem, ut in ea
sit substantia, nempe mens prima quae producit exter-
nas omneis substantias, ut divinam substantiam intelli-
gamus et supra res et in rebus; comparata luci est intelli-
gentia, quae et supra res una est et in rebus omnibus una;
est et | amor seu pulchritudo, alia idealis supersubstan- **496 G**
tialiter supra res, alia in rebus omnibus. Dissimilitudo
est inter solem et divinitatem, quia sol ab una quasi

11 exteriora, omnia *G* 13 quod *M*: qui *G* 18 ⟨quam⟩ ut *G*
21 est] es *G* idaealis *M* 22 Dissimilitudo ⟨autem⟩ *G*

arce et ab uno medio seu centro, ubi principaliter consistit, effundit lucem et calorem; divinitas vero nullo loco astricta, super omnem situm atque tempus consistens, aliis in rebus principalius esse videtur propter principalioris effectus conditionem, cum pro sua absolutione ubique aequaliter tota in immenso spatio consistat. Rursum in sole haec tria tanquam una substantia et duo accidentia distinguuntur; sua vero tria in divinitate, sicut et innumera alia praedicata quae sub eorum analogia recensentur, nullam omnino faciunt distinctionem.

Nihilominus propter contemplationis neces|sitatem et **102 *M*** ordinem tria in divinitate distincte speculanda pro captu ingenii nostri accipimus: essentiam nempe iuxta praedictas rationes, secundum quam paternitatem in divinitate nominabant; intelligentiam tanquam tantae essentiae primum effectum atque coaeternum Filium appellabant; amorem, qui ex conceptu pulchritudinis in tanta prole perspicuae, quem magnum daemona appellabant.

Intelligentia ergo est divina quaedam vis, insita rebus omnibus cum actu cognitionis, qua omnia intelligunt, sentiunt et quomodocunque cognoscunt. Neque enim sine cognitione eaque altissima atque profundissima a subiectis istis non remota ubique usque adeo mirabili architectura nascuntur animalia, plantae et alia heterogenea corpora, ita ut omnia in suis membris usque adeo mirabili varietate mundi universi similitudinem tum in toto, tum in partibus referant, ac omnia suum esse conservare student, contrarium fugiunt, utile persequuntur. Neque enim sine aliquo sensu vel cognitione (quam rudius philoso-

---

4 prin-|principalius *M*   12 destinctè *M*   14 secundum *om.* *G*   15 intelligentiam, quam tantae *G*   16 cooternum *M*   17 qui *om.* *G*   27. 28 studeant *c* fugiant *e* persequantur *G*

phantes non percipiunt) vel ipsae aquae guttae in rotundam et in sphaeram, ⟨quo⟩ pro viribus conserventur, conglobantur; | frondes, membranae et festucae ab igne **497 G** exsiliunt et contrahuntur, quasi contrarium effugientia. Haec est sensus quaedam participatio et universalis intelligentiae per universum propagatae effectus, quem consequitur affectio et inclinatio, defectio et declinatio, amicitia et lis in rebus omnibus, quibus sunt, cognoscunt et amant omnia, ut trina illa praedicatione divinitas quodammodo ad omnia descendat.

Svbstantia. **103 M**

Intellectus ergo in divina essentia et separatus aliis quidem appellatur idea una rerum omnium supersubstantialis, intellectus vero in rebus est virtus, qua omnia se quodammodo et alia cognoscunt, quomodocunque sive sensu sive ratione sive simpliciore aliqua vel materialiore ratione cognoscunt.

Bonitas.

Bonitas intellectus seu cognitionis in rebus est praesentia sui obiecti cognoscibilis, malum vero absentia. Haec bonitas habet suos gradus iuxta momenti specierum gradus et ordinem.

Veritas.

Veritas intelligentiae est, qua natura recto ordine pro dictamine ipsius recte constituit et constituitur. Est in-

1. 2 rotundum *forse a ragione G*   2 quo *G* : *om. M*   13 idaea *M*
17 cognoscant *G*

quam ipsa lex intelligentiae observata in rebus. Haec veritas in illis quae discurrunt est complexa; post res in genere intentionum rationalium; in rebus vero non solum est physica, sed est ipsa physis et natura ipsa.

Principivm.

Intelligentia secundum rationem principii est ante res, nempe efficientis primi, est in rebus secundum rationem efficientis proximi, est post res, in quibus ex principiis istis innatis inest facultas ad ulterius cognoscendum.

Cavssa. **498 *G***

Itaque est caussa tum qua res sunt, tum qua res cognoscuntur, sicut lux solis est caussa vitae rerum et sensus, quo sint et videantur.

Elementvm. **104 *M***

Intellectus est, qui elementa contraria, disgregata, separata, deordinata distinguit et ordinat, et ex confusione seriem et rerum distributionem molitur. Subinde intellectus rationalis ex incomplexis quibusdam intentionibus, tanquam elementis, enunciationes veras construit atque discursus.

Materia.

Materiam quoque, quae ante vulgata elementa substernitur, unam et individuam secundum essentiam, innumerabilibus formis atque similitudinibus configurat, ut

melius per universum et singillatim per omnes partes nequeat configurari; sicut et intellectus rationalis unam universalem intentionem atque speciem entis ad innumerabilium conceptionum diversarum, utpote ad mundi rationalis constitutionem promovet et perducit.

QVANTITAS.

Hinc ille rerum numerus, hinc illi rerum gradus, hinc pro numerorum rationibus variae variorum sunt compositiones, magnitudines atque figurae, unde singulae rerum species diversos magnitudinis et membrorum constitutionis gradus et qualitatum numeros sunt assequutae.

QVALITAS.

Hinc sequitur ex variorum numerorum conditione qualitatis dispositionum naturalium et habituum tum internorum tum externorum | conditio atque gradus, ut etiam **105 M** externae figurae internarum virtutum efficaciam | reprae- **499 G** sentent. Ita quippe omnia sunt comparata, ut omnibus respondeant; neque enim casu, sed ab intellectu definiente rebus constitutis sequitur, ut a regulato intellectu contemplativo et speculativo per ea quae forinsecus apparent de interioribus iudicium ferri possit.

POTENTIA.

In omnibus vel minimis vel ad oculum externum mutilis et imperfectissimis cognitionem esse, ex praedictis

1 singulatim *G*

possumus concludere; utpote intelligentiae quandam participationem, quamvis intelligentiam in quibusdam propter defectum vel organorum vel aliarum circumstantiarum non videamus actu, potentia tamen omnia in omnibus inesse, et consequenter intelligentiam ipsam, quae cum anima mundi concurrit et divinitatem ipsam ubique totam concomitatur, pro ratione effectus, quem in materia perspicere vel ex materia provenire desideramus, concludimus esse secundum potentiam quandam in omnibus; secundum actum vero in quibusdam, quae ad nostram similitudinem propius accedunt, vel in nostra consistunt similitudine, vel ad quorum sumus similitudinem, nempe heroum atque deorum. In mixtis vero, qualia sunt plantae, lapides, intelligentiae seu cognitionis actum non habemus expressum, at sensus; licet quidam habeant ad oculum rationis nihilominus explicatum, qui intelligunt totum telluris corpus esse | animal et non sine spiritu et anima opera- **106** ***M***
tiones mirabiles a lapillis et eorum fragmentis provenire, quae etiam animum hominis pulsent, alterent et afficiant, interdum ad meliores et admirabiliores fruges promoveant. Licet ergo animalia non omnia appellemus, animam tamen in omnibus esse non dubitamus, et cum anima intelligentiae seu universalis cognitionis sensum hîc quidem vehementiorem, hîc vero remissiorem.

Perfectio. **500** ***G***

Eorum vero sunt atque subsistunt singula pro suae materiae seu subiectionis facultate, atque suppositi virtute cognitionis specimen aliter atque aliter proferunt, sicut et

---

16. 17 qui-anima *in parentesi male G*

aliter atque aliter participant, unde comparatio est inter ea, quae plus magisque atque minus lucis illius participia secundum actum videantur; unde non omnia possumus omnes sigillatim, sed bene omnia possumus omnes summatim. Intelligentiae ergo perfectio non est in uno, in altero vel in pluribus, sed in omnibus; non etiam in omnibus suppositaliter, id est sub conditione materiali, sed sub formali conditione, quae perficit omnia, sicut lux in sua puritate plus quam in sua participatione, qua contrahitur ad huius vel illius lucidi mensuras atque numeros, vera et excellens invenitur.

Cognitio.

Cognoscitur ergo in omnibus et cognoscit in omnibus, neque urgendum est sub tituli virtute. Placuit | enim Epi- **107 M** curo et Democrito et aliis pluribus, omnem cognitionem appellare sensum. Ita et nos sub titulo intelligentiae omnem in proposito cognitionis speciem includimus. Vis ergo unius lucis intelligibilis ita omnia diversis modis ad cognitionem et cognoscibilitatem informat, sicut una lux sensibilis omnia ad visibilitatem et omnes oculos ad visivitatem pro captu uniuscuiusque informat.

Volvntas.

Hac praevia luce sequitur ille accursus uniuscuiusque rei ad sibi simile, affine et sub cognitione cognati apprehensum, et diversio ab his quae aliter seu diversimode se habent.

---

8 e 19 lux *G*: lex *M*

Relatio, actio et passio.

Haec est relatio et respectus physicus, qua realiter unumquodque convertitur ad sibi consimile, respicit sibi 501 G oppositum, cognata vicissim commeant, generatio actus prolis et parentis, gubernatio actus praesidum et subditorum, et omnis ordo rationem superiorum et inferiorum, aequalium et coaequalium, similium et consimilium asciscit. Inde provenit actio ex una parte, ex alia vero passio, quandoquidem hoc ordo, lex atque sanctio intellectus in omnibus existentibus indixit, ut omnia propriam speciem propagare et multiplicare queant. Hinc alia in alia agunt, ut in se ipsa vel in suam similitudinem eadem transmutent; patiuntur e contra reliqua, quae a sua et propria similitudine atque formae | consistentia (quam naturaliter conser- 108 M vare et propagare concupiscunt) deficere coguntur.

Dare et accipere.

Sicut ordo est in rebus superiorum et inferiorum, quorum illa influunt et communicant, ista vero participant et imbibunt, cumque versus supernam regionem intendatur lux intelligentiae et universalis cognitionis, emanatio istius est versus partes inferiores defluens; unde vis cognoscendi elargita est sub titulo potentiae activae et communicativae a caussis superioribus tanto efficacius, quanto etiam simplicius accipitur. Subiecta vero inferiora, quanto magis a superioribus naturae gradibus recedunt, tanto turbatiore, confusiore et imperfectiore ratione cognoscunt, ut et a lucis regione longius recedunt.

4 oppositum *G*: oppositam *M* 7 adsciscit *G* 24 e 26 accipitur e lucis *G*: accipere c ludis *M*

Habere.

Hincque videre et examinare licet, quam quaeque magis atque minus intelligentiae seu cognitionis lucem suapte natura sint adepta, ut magis atque minus versus supremum vel imum naturae gradum, altius vel summissius constituta sunt; alia quidem mobiliter, nempe | quae studio, 502 G exercitatione vel qualibet appulsus cuiusdam efficacia lucem luci possunt adiicere, alia vero immobiliter, id est quae primordialis naturae fines perpetuo in eadem mensura iisdemque gradibus asservant.

Medivm. 109 M

Eorum vero, quae cognoscunt, alia per se ipsa cognoscunt, tanquam innatam habentia lucem, ut eadem sint cognoscentia et cognita et quibus cognoscuntur, ut vivus sol, qui idem est oculus videns, oculus visus et lux qua ipse se ipsum videt, in quo haec omnia, subiectum videlicet, obiectum et medium, quo subiectum obiecto (id est subiecta potentia obiecto apprehensibili) unitur, sunt unum; alia vero cognoscunt per aliud seu per speciem distinctam a propria substantia, et haec est duplex: aut in se, sicut per speciem innatam seu conceptam, tanquam per medium, procedimus ad alias species concipiendas; aut extra se, sicut per eam speciem quae est in speculo attingimus eam speciem quae est in obiecto speculi, per eam quae est depicta vel quomodolibet simulachrum concipimus speciem eius cuius est simulachrum. Huiuscemodi media sunt in actu cognoscendi intellectivo: in sensitivo

autem iuxta suas species diversa sunt media, ut inter auditum et sonum, visum et visibile est aer, inter tangibile et tactum est cutis et pellis.

Instrvmentvm.

In intelligibilibus idem est medium et instrumentum, in relationibus vero, seu in his quae discurrunt, instru-
menta dicuntur quaedam rationes universales | seu inten- **110 *M***
tiones, quibus ratio versatur circa ratiocinabilia, cuiusmodi sunt definitio, divisio et argumentatio, de quibus est scientia logica secundum eam partem quae Organum appella-
tur, quia de istiusmodi instrumentis | determinat. In **503 *G***
cognitione item sensitiva propria sunt instrumenta, ut oculus, ut auris, lingua et similia.

Finis.

Iuxta diversas cognoscendi species diversus constituitur finis. Gustus enim ordinatur ad nutritionem, praesertim ad primam potentiae vegetativae operationem, tactus ad secundam, visus vero ad tertiam. Per gustum enim nutrimur et augemur, per tactum generamus simile nobis, per visum secundum locum convenienter movemur. Subinde per auditum simul atque per visum intentionibus et rationibus rerum agendarum et credendarum informamur, per imaginationem supra sensum attollimur, ratione intellectui unimur, per intellectum in mentem transformamur, dum a multitudine et materia ad unitatem et actum gradatim ascendendo pervenimus.

Contrarietas.

Sicut lux opponitur tenebris, ita et cognitioni et universaliter intelligentiae ignorantia; et haec est duplex, negativa et privativa; et haec iterum duplex, simplicis negationis et depravatae dispositionis. Negativa est in his, quae non cognoscunt eo quo non cogno|scunt pacto, **111 *M*** ut in lapide, qui non cognoscit sensitive. Privativa duplex: altera in his quae non cognoscunt cum potentia ad cognoscendum et dispositione, ut non videre est in catulis statim natis; altera in his quae non cognoscunt cum impotentia ad cognoscendum propter habitum proxime deturbatum, ut in his quae eccaecata sunt est latentia colorum seu visibilium.

Oppositio.

Sicut enti opponitur non ens, et non ens est duplex, simpliciter et secundum quid, ita et intellectui seu cognitioni universaliter dictae opponitur ignorantia, aut | quidem **504 *G*** simpliciter, ut scilicet omnimodam tollit cognitionem, et hoc pacto sicut non ens simpliciter est nihil, ita et ignorantia simpliciter est nihil, et quod simpliciter ignorat, id est secundum omnem modum ignorat, est nihil. Quidquid enim aliquo pacto est, aliquo pacto cognoscit, quemadmodum et materia, quae minimae dicitur entitatis, maxime omnium formas appetere dicitur, et consequenter aliquo pacto cognoscere. Omnis quippe appetendi modus aliquem cognoscendi modum consequitur, sicut est iste qui

8 cum *G*, *dall' Err.-Corr. di M*: eō *M* 12 excaecata *G*
17 aut *M*: ac *G*

est in profundo naturae. Opponitur ergo cognitioni simpliciter ignorantia simpliciter, et cognitioni in genere ignorantia in eodem genere. Cognitio simpliciter est in ente, quod est ipse intellectus, ipsa mens; ignorantia simpliciter non est cognoscens | secundum quid, et ignorans **112 *M***
secundum quid est omne quod non simpliciter cognoscit et non simpliciter ignorat. Oppositio rursum est inter haec, sicut inter lucem et tenebras, supremum et infimum, medium et extremum, tanquam contrarias et oppositas regiones.

Intentio.

Intellectus primus et simplex, qui in se ipso omnem complectitur cognitionem, sicut unitas omnem numerum, cognoscit ubique totus, sicut est ubique totus, sine distractione et applicatione; quandoquidem non habet obiectum extra se, sed, sicut dictum est, idem est obiectum et cognoscens. Ideo non intentionaliter, id est non per decursum seu influxum seu effluxum seu progressum quendam cognoscit, sed eadem absolutione cognoscit qua et est; reliqua vero quibus obiectum est externum, sive intelligentia sive ratiocinantia sive sentientia, tensione quadam seu attentione, qua nempe tendendo ad aliquid cognoscunt, informantur cognitionis propriae specie.

Conceptio.

Concipere etiam eorundem est, quorum est et intendere. Pura enim mens, simplex atque prima cognoscit **505 *G***
omnia in se ipsa videndo, non extra se speculando; et ideo non se habet per modum apprehendentis seu concipientis, sed per modum habentis. Ideoque nulla cognitionis novi-

tas illi accedit, sed in simplicitate quadam et absolutione ab omni vicissitudine | atque numero habet quidquid habet **113 *M*** et quidquid est. Reliquorum vero est concipere, quorum est et accipere.

Nomen.

Nomen intelligentiae seu intellectus rebus omnibus infusi est unum, sicut et res ipsa est una significata. Subinde propter subiectorum diversorum atque potentiarum informabilium unica illa res atque lux abit in diversas species atque genera, sicut unus solis fulgor in se ipso et in immediata communicatione a se ipso abit in diversas species colorum atque figurarum repraesentabilium, ubi diversis illuminabilibus applicatur atque coniungitur. Hic enim sensum diaphani, ibi opaci, ibi umbrosi, ibi albi, ibi rubri, ibi clari, ibi turbati coloris iuxta innumerabiles gradus atque modos speciem explicat. Ita et una lux intellectualis, qua omnia cognoscunt, sub uno, quo se omnibus infert modo, tandem in omnibus est pro singulorum capacitate atque modo, pro quibus diversa sortitur nomina, ut hic appelletur intellectus, hic ratio, hic imaginatio, hic visio, hic auditio et caetera; et in nomine non est litigandum neque haerendum, sive dicamus unum intellectum in omnibus sive unam mentem sive unum sensum, cum Platone vel cum Empedocle vel cum Epicuro.

Ordo.

Est ordo atque series eorum quae intelligunt, sicut in numeris. Prima enim et suprema intelligentia est ipsa

8 diversitatem *emenda G* 16 speciem *om. G*

monas, qua gradatim succedunt secundae intelligentiae; quarum quae pro|ximiores primae sunt, tanto || simplicioribus et paucioribus speciebus omnia apprehendunt, quanto vero elongatiora, tanto pluribus. **114 *M*** **506 *G*** Itaque ordo cognoscentium est sicut ordo specierum in numeris. Est et ordo cognoscendi, qui in prima mente et aliis, quae illi proxime sunt, nudis atque puris nullus est, quandoquidem non discurrendo cognoscunt neque per vicissitudines addiscunt. In inferioribus vero, quae ratiocinantur seu discurrunt, ordinem necessario debemus intelligere inventivum iudicativum, compositivum resolutivum, sensitivum intellectivum, ab universali ad particulare vel e contra, a confuso ad distinctum, ab elementis ad elementata vel e contra, qui quodammodo incidit, qui est a partibus ad totum. Rursum est definitivus sicut apud Platonem, divisivus sicut apud Pythagoram, demonstrativus sicut apud Aristotelem; sed isti tres ultimi non proprie dicuntur ordines, sicut proprius dicuntur modi cognoscendi. Horum ordinum alii dicuntur secundum nos, nempe qui ex notioribus et proximioribus seu promptioribus nobis; alii secundum naturam, quibus eadem serie res cognoscuntur qua et constituuntur et configurantur, sicut in mathematicis et praesertim in geometricis est videre.

Prius et posterivs.

Ex his quae in propositis dicta sunt de ordine, manifestum est quid dici possit de priori et posteriori secun|dum **115 *M*** intellectum. Est autem duplex ordo duplicem prioris et

---

1 qua *M*: cui *G*   4 vero] v. *M*: autem *G*   6 proximae *G*   10 *sq.* Iudicativum *M*: indicativum *G*   14 coincidit ⟨ei⟩ (*meglio* ⟨cum eo⟩), qui est *non male G*   18 sicut proprius *M*: sed magis proprie *G*

posterioris rationem aperiens: quidam divisivus unitatis et explicativus, ubi prius secundum naturam est comprehendens in una specie et idea, posterius vero in pluribus speciebus; prius simpliciter, posterius composite; prius per species innatas, posterius per species acquisitas; prius est comprehendens, posterius comprehensum; prius universale, posterius particulare. Est autem universale, de quo nunc loquor, quod est ante singularia et caussa singularium, non autem quod | est caussatum a singularibus et post illa. **507 G**
Hoc ordine res et fiunt et cognosci existimantur a caussis superioribus, nobis vero, qui a sensibilibus ascendimus ad intelligibilia, contrario ordine atque serie accipitur prius atque posterius; descendenti nempe quod est ultimum ascendenti est primum, explicanti extremum complicanti est primum.

Simvl.


Ista quae secundum ordinem et progressum a secundo in loco ordinatis capiuntur et apprehenduntur, absque ordine sed in simplici quadam apprehensione seu comprehensione a prima mente possidentur, quae non per descensum vel decursum ab unitate procedit ad multitudinem cognoscendam, licet eius intelligendi ordinem ita percipiamus, sed in una specie, uno actu et obiectu simul omnia citra confusionem intuetur, ac si in acie visus sint omnia et ipsa sit omnia, nempe videns, visio et visibile, sicut dictum est, ubi | lux videtur in luce per lucem, non vi- **116 M**
dens se per aliquid extra se, sicut non alia luce opus est ad ipsam lucem apprehendendam, tanto magis ubi lux ipsa

3 Idaea *M*

est ipse oculus, in quo omnia sunt potiore ratione quam possint in se ipsis esse. In se ipsis enim sunt mobiliter, materialiter, dependenter, deficienter, quae non entia potius sunt quam entia, quandoquidem sicut ex eo quod non erant sunt, ita ex eo quod sunt non esse possunt, unde et non vere sunt, nisi ubi sic sunt ut non esse non possint, nempe in prima caussa et principio indeficiente et ea quandolibet promere potente. Verius ergo sunt in ipsa monade, et per consequens verius in eadem cognoscuntur in simplicitate et simultate quadam, ubi scilicet sine distinctione, distributione et numero omnia sunt unum ineffabiliter.

Idem.

Ex hoc sequitur quod indistincta sunt omnia in uno, et quae in se ipsis diversa sunt atque contraria, in ipso **508 G**
simplicissimo principio sunt unum et idem, sicut plerumque manifestavimus maximum coincidere cum minimo in principio et fine; quod enim est extremum calidi est principium frigidi, extremum mali principium boni, finis tenebrarum principium lucis. Rursum idem est punctus communis terminus extremorum, quem eundem principium et finem maximi minimique anguli appellamus, unde simul utrumque exoritur contrariorum, | et **117 M**
consequenter in quo duo contraria sunt idem, ut patet in linea AB, quae cadit super lineam CD et exurgit ab illa.



22 punctum *G* 25 utrunque *M* 27 exsurgit *G*

Diversvm.

Diversitas subinde cognitionis iuxta generum diversitatem ab universali intellectu (qui est omne cognoscibile et cognoscens in omnibus) emanat. Sicut enim supra dictum est, omnia eo modo quo sunt, aliquo pacto cognoscunt, et vestigia universalis intelligentiae omnibus suo se communicantis modo sunt impressa. Cognoscunt ergo naturalia naturaliter, rationalia rationaliter, intelligibilia intelligibiliter, simplicia simpliciter.

Differentia.

In singulis vero generibus sicut propriae sunt differentiae, ita et differentes sunt percipiendi seu intelli|gendi **509 G** modi, sicut in genere animalium rationalium diversae daemonum species differenter pro complexionum diffe|rentia **118 M** cognoscunt, sicut et pro sensuum diversitate differentes sunt sensibiles cognitiones, sicut aliae sunt sensuum species ab his quibus nos praeditos esse cognoscimus, definire non possumus. Stulte enim hominem sensibus omnibus praeditum definiunt nonnulli. Talpa etenim si de sensuum numero iudicet, quî fieri potest ut de sensu visus aliquid apprehendat, ut alium a reliquis sensum esse possit definire? Homo ergo sicut magnitudine et momento, ita et multitudine sensuum ab aliorum animantum plurimis potest superari. Quo enim sensu formica castrat triticum, ne in cavea subterrestri germina emittat? Respondent stupide: instinctu na-

---

6 vestigia *G*: vestigium *M* 16 alias [sunt] sensuum *G*: *piuttosto* definire ⟨autem⟩ non *nella linea seguente?* 23 animantium *G*

turae! Nos illum instinctum esse sensus speciem, vel (quod idem est) intelligentiae quendam (quo nos orbati sumus) gradum seu ramum colligimus, quo in suae reipublicae administratione inque comparandis vitae necessariis prudentius et definitis quibusdam iisque optimis in suo genere ordinibus aguntur, quales humana species in suo genere nunquam adsequetur, dum individuorum singula palantia optimum illud perquirendo nunquam vel raro pro suo genere contigerunt.

Proprietas.

Ex hisce differentiarum rationibus, diversas cognoscendi species constituentibus, consequuntur variae iuxta varia subiecta proprietates, quae in specie sunt idem quod differentiae; in particularibus vero conditionem proprieta- **119 *M***
tum accipiunt, iuxta passiones specificam differentiam consequentes in subiecto particulari, quemadmodum rationalitas, quae ratione specifica una et indifferens est in omnibus individuis, subinde in hoc et in illo distinguitur, ut per hunc et illum ad actus ratiocinandi aliter atque aliter inclinatur.

Genvs et species. **510 *G***

Intellectus unus idem in omnibus pro generum varietate diversa cognoscendi genera constituit, quorum species sunt indefinitae, si vera est ea quam paulo ante de numero sensuum explicavimus doctrina. Intelligentiae ergo diversae sunt species. Primo enim et universalissimo intellectu

---

26 enim] n. *M*: *om*. *G*

quod supra genus esse creditur sunt dii, quorum singuli iuxta Peripateticorum sententiam unam constituunt speciem; siquidem ubi nulla est materia, nulla est secundum numerum multiplicatio, et omnis citra materiam multitudo specierum est multitudo.

PER SE ET SECVNDVM QVOD IPSVM.

Ea quae per se intelligunt, id est intellectus sunt participia, sunt animae subsistentes, daemones, dii. Illud quod est per se intellectus seu intelligentia, est Deus primus. Anima vero ubi fuerit non natura subsistens, sed consistens, sicut a Peripateticis, Galeno et a Stoicis definitur, non dicetur per se intelligere neque per se cognoscere, nisi quispiam et ipsam texere vel filare (ut dicit Aristoteles) velit asserere. Per se vero ratiocinatur homo, per se sentit **120 M** animal, homo et daemones, nempe corporea animalia spiritualia, id est subtilia et simplicia etc. Et hîc per se intelligere, sentire, ratiocinari et alio pacto cognoscere et lucis habere participationem idem est quod secundum se seu secundum quod ipsum, quandoquidem convertibiliter dicuntur, ubi praedicatum adaequat suum subiectum et adaequatur ab eo.

MOTVS.

Eorum quae cognoscunt alia per simplicem et innatam speciem cognoscunt, et cum sint inalterabilis naturae,

---

5 ⟨nec⟩ specierum *male G* 10 Anima *e* fuerit *G* : animae *e* fuerint *M* 11 Peripatheticis *M*

inalterabilem habent et cognitionem et universa | liter omnem **511 G** actum atque potentiam. Hîc naturam intelligo complexionem seu naturalem facultatem. Sic concessum est deos ab eo quo fuerunt omnem habuisse, cui nihil addi neque adimi possit, cognitionem. In animantibus quoque, quorum spiritus non omnino est immersus in materia, idem est videre, ut in apibus et formicis, quae sine experientia et usu et tempore innatam videntur habere rerum pro sua specie conservanda cognitionem. Quaedam vero tempore et usu illis cognoscenda adiiciuntur, quae ad substantiam cognitionis nihil profecto facere videntur, utpote informatae secundum rationes universales, iuxta particulares tantummodo sunt informabiles, ut scire in illo loco esse triticum, ad hanc partem esse procedendum ad foveam | seu horreum, **121 M** ubi commode fruges conservantur, et reliqua huiusmodi.

TERMINVS.

Cognitionis vero terminus est triplex. Alius quo aliquid desinit cognoscere, sicut amisso sensu desinit sentire, et hic terminus cognitionis est compositorum, generabilium et corruptibilium. Alius est cognitionis terminus perfectionis, qui idem sit terminus cognoscendi et complementum cognoscendi, et talem terminum attingunt, quae motu, tempore et discursu perficiuntur; in aliis autem cognitio non perficitur, sed efficitur, id est cum ipsa specie nascitur, sicut cum formica tota formicae cognitio. Alius est terminus ad quem est motus, seu ad quem respicit intentio, qui idem dicitur finis seu bonum potentiae cognosciti-

1 *il primo et manca in G* 11 *e* 13 informata *e* informabilia *G* 15 conserventur *G* 21 sit *M*: fit *G*

vae; et hoc est in intellectivis et ratiocinativis verum, in sensitivis vero delectabile et iucundum primitive, sumministrative autem etiam verum. Visus enim et auditus, ut informant rationem, habent elementa veritatis, verum vero et falsum, quod est in enunciatione, per se non apprehendunt; et ideo sensus per se non fallit neque fallitur etc.

NECESSITAS. 512 G

In genere cognitionum cognitio divina, quae non distinguitur a voluntate divina, quae subinde non distinguitur a fato, ponit et supponit necessitatem. Necessarium enim est, quod divinae infallibili cognitioni est notum, quodque a voluntate talem cognitionem consequen|te vel 122 M potius concomitante vel declarante procedit. Cognitio item quam naturae appellant, quae est ipse ordo rebus naturalibus inditus, definitus ad unam partem contradictionis, est etiam necessitas; et dictum est in superioribus quemadmodum cognitio et voluntas in natura sunt unum, et cum sint invariabilia, sunt unum necessario. Differt autem necessitas naturae a necessitate fati seu divina, quia natura necessario facit unum, sed non ex necessitate semper. Necessitas enim est penes voluntatem et cognitionem infallibilem, sed non penes effectum, quia potest impediri et averti; divina vero necessitas est penes omnia.

VBI.

Intellectus et omnis potentia cognoscitiva non est alicubi tanquam in loco, sed tanquam forma in subiecto. In-

---

1 rationativis *MG* 2 primativo (*cf. a p. 30, 21*) *MG* 4 informant *G*: informat *M* 21 *forse* enim ⟨naturae⟩

tellectus vero, qui est universalis substantia et causa universae cognitionis in omnibus et singulis, est una substantia seu essentia ubique tota, sicut anima in corpore.

QVANDO.

Ut est supra materiam et extra materiam, ita et extra magnitudinem, motum atque tempus. Quoad operationem vero quaedam potentiae cognoscitivae, ut sunt in subiectis transmutabilibus, quorum mutatio est in tempore et secundum tempus, etiam suo ordine serieque progrediuntur in actum, ut visus primo intendit in rem visibilem, secundo unitur rei visibili, | tertio || concipit speciem a re visibili ipsa **123 *M* 513 *G***
ei admota atque praesente, amotis impedimentis et medio disposito ad certum intervallum et praesente lumine exteriori. Ita et deinde frequentatis iteratisque actibus particularium sensationum fit unus habitus et experientia in his, quae secundum tempus et ordinem quendam addiscunt; potentiae vero separatae a materia vel minus materiae immersae, quales sunt in apibus et formicis declaratae [sunt], non obligatae sunt tempori, discursui atque motui.

SITVS.

Intellectus et intellectivae potentiae sunt fundatae in anima, ita ut non certae corporis parti destinentur, sed sicut anima est in toto tota, ita et huiusmodi potentiae sunt cum animae essentia concurrentes, ut neque secundum

---

9 tempus etiam *M* 18 *il secondo* sunt *è cancellato da G, che ha anche aggiunto la virgola innanzi a* non

operationem dividantur ab ea. Potentiae vero sensitivae, etsi in substantia animae sint eadem ratione radicatae, a certis tamen corporis partibus et organis distinctis et ordinatis distincta ordinataque serie operantur. Organa sensuum exteriorum ut sint distincta, neminem latet. Sensuum vero internorum situs hic est secundum vulgus philosophantum in anteriore cerebri parte, ubi nervi optici (et alii qui bini ad nares, bini ad aures, bini ad linguam protenduntur) sunt uniti et radicati tanquam in uno stipite, intelligitur esse sensus communis, cui succedit phantasia in secunda cerebri parte usque ad capitis medium, cui tertio succedit | sedes cogitativae a medio usque ad quadrantem **124 *M*** circa tertium cerebri; ultimo in loco, ubi est fortissima pars capitis ad occiput, unde nervi motivi protenduntur per totum corpus, ibi est locus retentivae facultatis, nempe memoriae: quorum rationem praetermitto dicere. Una tantum vera est maxime, si reliquae omnium quas adducunt etiam verae sunt, quia ex laesione singularum enumeratarum partium sequitur laesio illius potentiae sensitivae ad partem illam capitis pertinentis. Quod | vero subinde intel- **514 *G*** ligentia perturbetur et actio altioris potentiae, nempe discursus, ratiocinium et similia, non est quia talis potentia sit alligata corpori, sed quia actus illius et opus consequitur opera et actus sensibilium facultatum, quibus perturbatis subsequens virtus laeditur et hebetescit. Necesse est enim, ut aliquo sensu deficiente deficiat et intellectus et scientia, quae est secundum illum sensum; maxime vero in sensibus interioribus iisque quae proximius accedunt immateriali potentiae proxime dictae.

---

9. 10 Stipite. Intelligitur *G*, *ma evidentemente manca qualche parola, forse* ‹qui› *o meglio* ‹ibique› intelligitur   16 *leggi* rationes   23 allegata *M*

Comparatio.

Sicut in superioribus notavimus ordinem atque gradus cognoscendi, accessum maiorem atque minorem, nec non et recessum maiorem atque minorem a luce atque tenebris. Tunc etiam gradus comparationis intelligimur distribuisse, quique maxime, quique minime, quique | mediocriter, magis **125 *M*** atque minus est intellectivum atque aliis rationibus cognoscitivum, intelligibile item atque aliis rationibus cognoscibile.

Comprehensio.

Intelligentia superior altiori modo, simpliciore atque clariore cognoscit ea, quae potentia apprehendit inferior. Hi enim etsi sensu non sint praediti, ea tamen quae per sensus cognoscuntur minime eos latere arbitrandum est. Cognoscunt ergo sensibilia non per sensum, sed per sensum meliorem et sub ratione melioris sensibilitatis, item per simpliciorem. Quae quippe nos pluribus cognoscimus sensibus, superiores naturae uno sensu melius apprehendunt; simplicissima vero omnium simplicissimo omnia cognoscit intuitu. Sicut ergo moneta pretiosior in singularitate comprehendit omne pretium, quod monetae inferiores sub pluralitate apprehendunt, et sicut in tetragono est trigonum, in decagono pentagonum et hexagonum etc.; ita in virtute superioris et | unius intellectus est **515 *G***

---

4. 5 tenebris, ita etiam *G* 6 quodque *tutte e tre le volte G*
11. 12 simpliciori atque clariori *G* 12. 13 inferior *G*: interior *M*
13. 14 Hi-praediti-eos] Illae-praeditae-eas *G* 15 sensus *a ragione G*
16. 17 sensibilitatis. Item per simpliciorem quae *M*

virtus omnium facultatum cognoscitivarum inferiorum. Sicut in anima intellectiva intelligunt Peripatetici comprehendi sensitivam et vegetativam tanquam potentias eiusdem, et in sensitiva vegetativam tanquam eiusdem potentiam; ita et nos in intellectibus superioribus virtutem omnium inferiorum cognitionum altius contineri, al|tissime in primo intellectu, infinite in ipsa mente, quae **126 *M*** intellectus ipsius pater est, definimus. Omnia ergo, quae sunt in inferioribus eorum et notantia perfectionem, vehementius intelligere oportet in superioribus, et quaecunque in istis defectum dicunt, fortius in inferioribus intelligere oportet. Lux enim versus supremum intenditur, et tenebrae versus imum intenduntur.

Avctoritas.

Auctoritas est cognitio sub lumine alieno, et iuxta diversitatem et dignitatem eorum, sub quorum lumine alia cognoscunt vel de incognitis fatentur, auctoritatis species desumuntur et differentiae.

Fides.

Fides est species cognitionis, quam in suo loco definivimus principium omnis cognitionis, maxime vero scientiae, comprehendens eos terminos qui sunt per se noti et per quos alia cognoscuntur; et hanc in theologicam et philosophicam distinximus, quarum haec habet certitudinem ex proprio, illa ex alieno sensu, qui non fallat neque fallatur.

---

1. 2 inferiorum, sicut *M*: inferiorum. ⟨Item⟩ sicut *G*   8 *si aspetterebbe* mater   9 et *om. G*   24 quorum *M*

EVIDENTIA.

Evidentia vero est optima cognitionis species, qua sensus perfecte suo sensibili, absque medio teste, et intellectus suo intelligibili, absque auctoritate, fide propria vel
aliena, sed per se, secundum se et in se, | ne dubitationi 516 G
locus ullus esse possit per se neque per accidens, coniungitur et unitur.

Alla Summa terminorum *fa seguito nell'edizione di Marburg questo trattato:* Terminorum nonnullorum explicatio e tractatu de Definitionibus divi Athanasii Episcopi Alexandrini, quae collectae sunt a Clemente et aliis sanctis viris ac beatis patribus. *Il titolo stesso indica che questo opuscolo non è se non un estratto del noto trattato falsamente attribuito ad Atanasio:* Variae definitiones iuxta traditionem fidemque catholicae ecclesiae, collectae ex Clemente, aliisque sanctis viris beatisque patribus, quas prae aliis omnibus disciplinis adire atque animo complecti oportet eum qui, Deo iuvante, verbo veritatis praeesse voluerit; nec non quisquis orthodoxam tenet sententiam, sinceramque fidem habet erga Deum (*Migne*, *Patrol. Graec.* XXVIII. *col.* 534). *A parte le differenze di lingua come* idioma *in luogo di* proprietas, idiomata extraordinaria *in luogo di* proprietates subordinatae, rufi *in luogo di* flavi etc., *i due testi sono identici. Se non che è da avvertire che nell'edizione di Marburg sono saltati i § 1-4 del cap. I; del § 5 è riportato soltanto il passo che comincia colle parole* finitum est quod suos terminos non excedit, *e finisce* ut panis et similia; *poi di nuovo sono saltati i paragrafi 6 e 7 all'infuori della fine di quest'ultimo* Idioma dicitur quod tanquam proprium in natura subsistit; *infine questo inciso sulla* proprietas *o* idioma *è seguito da ciò che forma il capitolo III del Migne intitolato appunto* Quid dicitur proprietas. *Dal § 8 del 1º capitolo sino alla fine di esso i due testi sono conformi, e trattano dei varii significati della parola natura e delle differenze filosofiche e teologiche tra natura e ipostasi. Alla quale trattazione seguono queste altre:* Actus (*Migne cap. IV* Vis agendi), Unitas (*Migne cap. V* De unione),

---

4 authoritate *M*

Consubstantiale (*Migne cap. VI* De consubstantiali), Anima et mens (*Migne cap. VII* De anima et mente). *Questo ultimo capitolo però è spezzato alle parole* animal sensitivum, *e gli si fa succedere un altro sulla* Voluntas, *che è lo stesso capitolo II del Migne ingiustamente intitolato* De voluntate, proprietate et operatione et de unione et consubstantiali. *Dopo questa inserzione si ritorna al capitolo VII del Migne per riportarne quello che in fine vi si dice del* corpus *e della sua relazione colla* caro. *Segue un altro capitolo* Corruptibile, *che è lo stesso del cap. VIII del Migne* De corruptibili, *e con questo finisce l'opuscolo saltando gli ultimi capitoli IX-XII del Migne che sono più teologici che filosofici.*

Al trattatello pseudo-atanasiano tien dietro l'opuscolo annunziato nel frontespizio dell'edizione marburgense: Terminorum quorundam Explicationes per Rodolphum Goclenium Seniorem (*Rudolf Goeckel*, 1547-1628, professore a Marburg), *attinte a S. Tommaso e ai di lui commentatori. Nè il Gfrörer nè noi abbiamo creduto utile ripubblicare queste due operette, che non appartengono al Bruno.*

FIGVRATIO ARISTOTELICI PHYSICI AVDITVS.

IORDANI BRVNI NOLANI

FIGVRATIO ARISTOTELICI

PHYSICI AVDITVS

AD EIVSDEM INTELLIGENTIAM ATQVE RETENTIONEM
PER QVINDECIM IMAGINES EXPLICANDA.

AD ILLVSTREM ADMODVM
ATQVE REVERENDVM DOMINVM

D. PETRVM DALBENIVM

ABBATEM BELLEVILLAE.

PARISIIS,
ex Typographia Petri Chevillot,
in vico S. Ioannis Lateranensis, sub Rosa rubra.

IORDANVS BRVNVS NOLANVS a 2r

ILLVSTRI ATQVE REVERENDISS.

D. D. PETRO DALBENIO

ABBATI BELLEVILLAE

SAL.

Tribus potissimum de causis hanc me adortum esse curam, ut lucem pro eorum capacitate Aristotelicis intentionibus indicerem, caeteri velim existiment. Quarum prima est, ne id et mihi contigisse videatur, quod literatoribus quibusdam universa crebris observationibus discussionibusque conspurcantibus accidit, qui temeraria ignorantia cum praecipiti quadam arrogantia coniuncta suffulti de hisce rebus, quarum prorsus rationem ullam non haberent, sibi censurae munus usurparunt; quod tanto cum studiosorum plurium detrimento factum esse censeo, quanto consultius esse videtur subtiliter cum Aristotele vel alio de | sophista- a 2v rum principibus errasse (quod ad ingenii conferat acumen), quam infrugalissime cum eiusce generis brutis naturalem emittere posse ruditum. Secunda quae huc me adegit ea ratio est, quod de tam copiosa eorum, qui se non modo philosophos, sed et pro maiori dignitate Peripateticos iactant, multitudine perpaucos esse video praeter eos, quibus ma-

gis per ignorantiam in fide viri laborantem, quam per sensum ex illius principiis educta ratione distinguentem, admirabilis eiusmodi habeatur disciplina. Quandoquidem (ob innatam multitudini conditionem) vulgo satius esse consuevit obscuriora velutque in tenebris efficta phantasmata prurientem perfricantia phantasiam admirari, excolere, exosculari, quam fulgidos familiarius sese ingerentis veritatis radios excipere velle. Quamobrem prius inopiae sensus (qua notabiles extant in propriis) succurrere aliqua ratione voluimus, quam id efficere ut (quales nostra ferat opinio) divitiae illis obiicerentur alienae. Tertia quae me ad | idem **a 3r** compulit intentio est, ne qua iniuria adversum (quam ferunt) rerum profundarum maiestatem cavillator audacior, non autem ingenuus de rebus mihi (ut iure existimare videbor) apertis discussor legitimus appaream. Quidni enim? Ubi rem propositam ad numeros revoco, seriatim dispono, nihil quod ad eius veram causam faciat praetermitto, de nulla eius ratione dissimulo, nusquam quod ad eius confirmationem conducat obiter pertranseo; interdum quoque, quoad rei momentum patitur, non sine sinceritate aliquid adiicio, tandemque universa quae ad eius comprobationem conferre possunt excurro diligenter, priusquam de censorio examine iudicioque possim cogitare. Id enim non tantum mihi, sed et cuicumque accuratius faciendum puto, quantum non id modo (quod cum caeteris habeo commune) in animo et facultate est hominis tantae authoritatis sensum indagare et aperire, sed et (quod nobis Deorum munificentia proprium effecit) de eodem pro veritate consulere, decernere, definire. Hic sententias abstrusas elucidavi, **a 3v** sensus passim veluti disiectos aggregavi, et universum velut infiguratum ursae partum in sua membra digessi. Non sunt arcana soli Aristoteli nota, non dona duntaxat Ale-

xandro pollicita, non opera apud multos edita tamquam non edita, si nullae hîc amphibologiarum ambages, nulli scrupulorum anfractus, nusquam perplexorum aenigmatum nodi coniiciuntur. Quod si ita est, tua (vir optime) ob munus tibi a divis Musis iniunctum intererit, ut haec acri quo polles ingenio iudices, graviore qua praestas doctrina defendas, et eximia qua potes authoritate conserves. VALE.

IORDANVS BRVNVS NOLANVS a 4r

DE QVINDECIM IMAGINIBVS AVDITIONIS

PHYSICAE FIGVRATIVIS.

ART. I.

Eadem certe ratione, qua octo Physicorum libros figurare docemus, quoscumque alios facillime figurabis. Unde non tantum praesenti negocio propriam, quantum appropriatam dicere possis artem, quam ad unum de triginta sigillis facile referre poteris, dum ex iis sive pictorem seligas seu sculptorem; quantumvis et ipsa facultate quadam peculiari non careat.

ART. II.

Hic primo tibi ad subiecti generalis conceptionem nota quindecim particularium subiectorum obiicitur, utpote I.

I Principis.
II Principii.
III Materiae. a 4v
IV Formae et Privationis.
V Naturae.
VI Causae.
VII Fortunae et casus.
VIII Motus.
IX Infiniti.

x Loci.
xi Vacui.
xii Temporis.
xiii Dicibilium de motu.
xiv Primi motus.
xv Primi motoris.

ART. III.

Secundo eorum figurativa seliguntur, quia

i Principem notat arbor Olympica.
ii Principium Minerva.
iii Materiam Thetis.
iv Formam Apollo, privationem Atropos.
v Naturam Pan superior.
vi Causam per se Fatum.
vii Causam per accidens Fortuna.
viii Motum Cupido. a 5r
ix Infinitum Iuno.
x Locum Chaos.
xi Vacuum Orcus.
xii Tempus Saturnus.
xiii Quod circa motum Cupidinis arma.
xiv Primum motum Caelius.
xv Primum motorem Iuppiter.

ART. IV.

Tertio figurativis apposita declarantur, ubi

i Arbori Olympicae quadrat agricola.
ii Minervae domifactor.
iii Thetidi nauta.

26 Olimpicae

IV Apollini medicus, Atropo textor.
V Pani pictor.
VI Fato auriga.
VII Fortunae cursor.
VIII Cupidini sagittarius.
IX Iunoni auceps.
X Chaos morio.
XI Orco fossor.
XII Saturno necromantus.
XIII Cupidinis armis faber vulcanius. a 5v
XIV Caelio figulus.
XV Iovi architector.

ART. V.

Quarto ad articulorum numerum, qui denarium non excedunt, decem subiectis adstantium species enucleantur, ubi

Unum indicat parens.
Duo indicant Cupidines.
Tria Charites.
Quatuor filii.
Quinque servi.
Sex operarii.
Septem virgines.
Octo duces.
Novem Musae.
Decem senatores.

ART. VI.

Quinto articulorum simpliciores portiones notant, quae vel in individuo sunt vel circa individuum versantur, ubi

Primam partem significat locus.
Secundam habitus.
Tertiam caput. a 6r
Quartam dextera.
Quintam sinistra.
Sextam pectus.
Septimam venter.
Octavam foemur.
Nonam genua.
Decimam pedes.

---

1 Appollini 8 Orco] Orio 10 Cupidis


ART. VII.

Sesta simpliciores illae portiones ita formentur, ut

Ad locum pertineat animal.
Ad habitum indumenti ratio.
Ad caput armamentum eius.
Ad dextram organum.
Ad sinistram opus.
Ad pectus insigne.
Ad Venerem passio.
Ad foemur actio.
Ad genua officina.
Ad pedes materia.

TYPVS VNIVS SVBIECTI a 6v

decem articulorum, quorum primus una, secundus duabus, tertius 3, quartus 4, quintus 5, sextus 6, septimus 7, octavus 8, nonus 9, decimus 10 simplicioribus constant portionibus.



---

10 foemu, ractio

DIVISIO VNIVERSAE PHILOSOPHIAE. a 7r

In tres partes contemplativa dividitur philosophia, physicam, mathematicam, metaphysicam. Prima est de rebus naturalibus, secunda de mediis, tertia de divinis. Prima est de iis quae apud nos fiunt atque sunt, secunda de eorum numero et mensura atque momento, tertia de eorumdem causis. Prima est de iis quae cum materia sunt atque considerantur, secunda de iis quae cum ipsa sunt sed non cum ipsa considerantur, tertia de iis quae sine illa tum sunt tum considerantur. Prima de subsistentibus, secunda de inexistentibus, tertia de persistentibus. Prima de natura concretis maxime, secunda de ratione abstractis, tertia de per se separatis. Prima de iis praesertim quae multa sunt, secunda de iis quae in multis, tertia de iis quae ante multa. Prima ad moralem praesertim vitam confert, secunda ad rationalem, tertia ad heroicam. Primae consideratio est veluti de simo, secundae veluti de rectitudine, tertiae veluti de intellectu. In prima facilids exercetur demonstratio causae, in secunda fere semper demonstratio simpliciter, puta quae causae pariter est atque signi, in tertia demonstratio a 7v signi. In prima et tertia distinguuntur et alia sunt nobis et naturae priora, in secunda vero eadem habentur quae primo sunt et primo cognoscuntur.

DIVISIO NATVRALIS PHILOSOPHIAE.

Physica Aristoteli in partes octo seriatim distribuitur, quarum prima est Auscultatio physica quae de natura et motu simpliciter speculatur. Secunda est tractatio De caelo et mundo, ubi de prima motus specie, puta de latione, et de primis mobilibus corporibus contemplatur. Tertia est consideratio De generatione et corruptione, quae est in duobus libris cum tertio qui sine causa appositus est quartus Meteorologicus, ubi de reliquis motus speciebus pertractat. Quarta de generatione, alteratione et consistentia imperfecte compositorum in tribus Meteororum libris. Quinta de generatione et consistentia perfecte compositorum, sed inanimatorum, in libro De mineralibus. Sexta de generatione et consistentia vegetantium in libro De plantis. Septima de | gen. et consist. animalium in libris a 8r De generatione eorum et De ipsis. Octava de principio generationis, vitae, motus, item vegetandi, sentiendi et ratiocinandi, in libris De anima et ipsis affinibus Parvis naturalibus. Haecque ultima pars est de illa forma, quam intelligit in calce primi Physicorum esse terminum physicae speculationis et contemplationi contiguam metaphysicae. Liber vero Problematum integer propriam hic non habet sedem, cuius diversae sectiones ad diversas numeratarum partium referuntur atque spectant.

DIVISIONEM PHYSICI AVDITVS

ex eo quod principio huius libri traditur habes effusissime.

---

9 metheorologicus 11 metheororum

IORDANI BRVNI NOLANI 1r

DE PHYSICO AVDITV ARIST.

PROPOSITVM.

DE INTENTIONE ET ORDINE OCTO LIBRORVM PHYSICAE AVSCVLTATIONIS, ITEM DE EIVSDEM INTENTIONIS ET ORDINIS RATIONE.

Quoniam igitur rerum naturalium scientiam adtentanti necessarium est primo non ignorare naturam, praeordinavit octo libros De physica auscultatione intitulatos, in quibus quae ad naturae cognitionem facere videntur exequitur. Pro cuius considerationis complemento materiam, privationem atque formam, quae naturae sunt species et a quibus maxime naturalia denominantur, causas item quae secundum ipsas naturae species dicuntur, materialem videlicet atque formalem, vel quae in ipsis aut | circa ipsas 1v naturae species versantur, efficientem atque finalem, nec non fortunam et casum agentis quandam rationem suscipientes definivit. Iis adde et motum, qui (cum naturae proximus extet effectus) si ignoretur, et ignorari naturam necesse sit, atque ideo considerationem istam cum suis speciebus, partibus atque terminis subintrat; primi motoris contemplatione non omissa, quatenus pro primi motus cognitione physicae facultatis limites, cum hoc quod

---

20 subintrat. Primi

et naturae efficiens esse creditur, ingreditur. Eadem quoque vel simili ratione, qua naturae notitiae notitia motus inserviens affertur, aliorum quorundam cognitionem motus cognitioni subministrantem proferre necessum est. Primo igitur ipsius infiniti ratio est investiganda, tum quia motus continuorum quoddam est, ut cui ratio congruat infiniti, tum etiam quia opinantes ipsum infinitum rerum naturalium esse principium atque naturam operae pretium est arguere. Ad haec de loco tractandum occurrit, tum quia motus omnis in loco esse perhibetur, tum etiam quia princeps motus species est localis. Proinde cognitioni de loco cognitio vacui deserviens non est praetermittenda; ipsum quippe vacuum quibusdam (quorum error non erat silentio praetereundus) locus esse vi|detur. Temporis demum 2r praesentatur adsignanda descriptio, tum quia motus dicitur atque quietis mensura, tum etiam quia ad rerum omnium naturalium efficientiam maxime concurrere videtur. Ecce quemadmodum antea quam in libro De caelo de rebus naturalibus incipiat pertractare, sub titulo considerationis de natura generalia atque communia entibus naturalibus iuxta propriam viam expedisse voluit Aristoteles.

ARTICVLVS I.

Aristotelis propositum explicatur.

Duplicem principio cognoscendum proponit ordinem Peripateticorum princeps: alterum habitui scientiae magis adcommodatum et opportunum, quo effecta quorum sunt principia, causae et elementa ex principiis, causis et elementis cognoscuntur; alterum nobis innatum, ad ipsum

---

18 coelo 20 comunia 26 oportunum

scientiae habitum capessendum, quo ab effectis ad eorum principia, causas et elementa progredi licet.

Horum primus est ab universalibus ad physica composita, quae eorum dicuntur particularia; secundus a confusis universis atque compositis | ad universalia, quae eo- 2v
rumdem specifica principia, specificae partes specificaeque causae nuncupantur. Ad quae nimirum haec compositorum cognitio refertur, sicut ad rei notitiam in suae essentiae partibus nominis notitia et indiscreta puerorum appellatio, qua vel omnes viros vel sine delectu virum atque foeminam patres dicunt atque matres, ad propriam atque discretam determinati patris atque matris appellationem.

Cum igitur alter ordo rerum naturam, alter vero conditionem intentantium disciplinas consequatur, iam provectis nobis non quidem per innatum, sed elaboratum, licet a distinctis universalibus principiis et elementis, quae sunt natura seu naturae species, determinatam hinc accipientibus matrem materiam, inde vero seorsum patrem formam, ad composita naturalia, quae patrem matremque veluti confundentia complectuntur, proficisci.

ARTICVLVS II.

De rerum naturalium principiis primo contra alios argumentando, deinde iuxta propriam sententiam determinando pertractaturus, opinantium praemittit diversitatem.

Multiplicem inquit antiquorum philosophorum opinio- 3r
nem de principiis extare; alii quippe unum constituerunt principium, alii plura. Eorum qui unum hi quidem posuerunt ipsum immobile, ut Parmenides et Melissus; ii vero mobile, ut naturales, quorum Diogenes intellexit aë-

---

9 indiscraeta *c* 12 discraetam

rem, Thales aquam, Heraclitus ignem, Hipparchus medium inter aërem et ignem. Eorum qui plura alii posuerunt finita, alii vero infinita. Ponentium finita quidam dixerunt duo, ut Plato magnum et parvum, Parmenides calidum et frigidum, Empedocles congregationem et segregationem; quidam dixerunt tria, ut Anaximenes aërem, vel aliud unum cum calido et frigido, et Democritus cum pleno et inani atomos; quidam vero quattuor, ut et Empedocles ea quae communiter elementa dicuntur. Ponentium infinita Democritus (dum in atomos respicit) dixit differentia secundum figuram et ordinem tantum, Anaxagoras vero genere quoque ipso differre voluit. Eodem pacto de ente sicut et de principio quaerunt antiqui, si unum sit vel plura, et si finitum sit vel infinitum, cum ipsum quod est ipsa rerum substantia perpetuo manens, principium appellent.

ARTICVLVS III. 3v

De opinionibus curandis atque persequendis, et de negligendis atque dimittendis sententiam profert.

Dictorum, inquit, opinantium alii innaturalitér sunt loquuti, alii vero naturaliter. Adversus primos non est pro debito disputandum propter duas causas; tum videlicet quia non conveniunt nobiscum in principiis (simili enim causa geometrae non est solutio ad argumentum Antiphontis, sed Brissonis, de quadratura circuli), tum etiam quia contra quamlibet extraneam et incongruam sententiam (qualis fuit Heracliti) sollicitari insanire est. Est tamen propter duas alias causas exempli gratia cum illis disputandum; tum quia etiam si non naturaliter loquantur, de natu-

1 Hipparcus (*sic*), *nè è probabile qui uno scambio con* Hippasus 8 e 10 athomos 25 *l.* Brysonis 28 exemplij ex

ralibus tamen loquuntur, tum etiam quia nonnullis considerationibus faciundis ansam tribuunt. Adversus autem secundos eorum dubitationes solvendo nobis est necessario disputandum, cum admittant vel motum vel multitudinem vel utrumque, quae quidem esse in hac scientia tanquam compertum supponitur.

ARTICVL. IV. 4r

Aliorum opinionibus utcumque praepositis, primo convertitur ad eos qui non naturaliter sunt loquuti.

Ad Parmenidem ergo et Melissum, qui ens unum inmobile dicunt principium, dirigitur instantia, primo ex parte entis, secundo ex parte unius, tertio ex parte immobilis, quarto ex parte principii, quinto ex parte huius complexi Ens est unum, sexto ex parte argumentationis modi. Quod ergo ad primum attinet, petitur ab eis quomodo accipiunt ens. Nunquid pro significanda substantia tantum, an pro aliquo accidentium genere, an pro complexo ex substantia et accidente? Si pro substantia, num pro completa, ut homine aut equo, an pro incompleta, ut anima? Non enim esse potest unum ens, si ens significet substantiam; haec enim cum accidente (sive coniuncta, sive separata intelligatur) pluralitatem constituat oportet, et sine ipso accidente unum finitum vel infinitum non dicetur; neque si ens significet accidens, cum ipsum sine substantia nequeat subsistere; neque si complexum significet, semper enim plura sunt quae complexionem faciunt. Quod ad secundum, petitur ab | eisdem quomodo dicunt unum. 4v
Continuitate? Indivisibilitate? Ratione? Verbi praedicativi

10. 11 in mobile 16 ENS? nunquid

ablatione? An conversione verbi in denominativum? Nonne continuum est in infinitum divisibile, ideoque innumeras continens partes? Mitto quod est dicendum de alia ratione totius et partium. Nunquid non unum indivisibile nec finitum esse potest nec infinitum? Nonne ratione unum idem faciet contraria bonum et malum, contradictoria bonum et non bonum, et diversa hominem et equum, substantiam et accidens hominem et albedinem, albedinem et bicubitum? Nonne etiam si Lycophron dicat 'homo albus', remanet tamen diversa hominis albique ratio? Similiter et alii, qui dictionem mutantes non 'albus est' aiebant, sed 'albatur', nonne decipiuntur formidantes ne unum simul et multa dicerent? Nesciebant enim rationem distinguere in plura quod unum est subiecto, et potentia distingui in plura quae unum sunt actu. Quod ad tertium, arguuntur non distinguentes immobilitatem secundum locum ab aliis immobilitatis speciebus, cum tolli nequeant alii motus qui nomine alterationis communiter designantur. Quod ad quartum, tum quia non distinguunt principium temporis et durationis a principio magni|tudinis atque molis, tum etiam 5r quia idem dicebant principium et ens. Quod ad quintum, tum quia non invenerunt medium inter ens simpliciter atque nihil, tum etiam quia si posse definiri concedant, necessario in partes definitivas distribuant oportet. Quod ad sextum, arguuntur tum quantum ad argumentandi formam, quia paralogizant, tum etiam quantum ad materiam, quia propositiones falsas adsumunt. Sic enim Melissus argumentatus dicitur: 'quod est factum habet principium, ergo quod non est factum non habet principium; si non principium, neque finem; ergo est infinitum, ergo

2 in numeras 7 equum? Substantiam 19 distingunt 24 diffinitivas

est immobile, quia non habet extra quo moveatur; ergo est etiam unum, cum nil admittat extra'. Parmenidis autem istud fertur argumentum: 'quidquid est praeter ens, est non ens; sed quod est non ens, est nihil; ergo ens est unum; si est unum, est immobile; non enim habet ad quid moveatur'. Et iste ponebat unum finitum.

ARTIC. V.

Secundo convertitur ad eos qui naturaliter sunt locuti.

Ad physicos autem respiciens primo eorum diversitatem exprimit, secundo Anaxago|rae producit argumentum, 5v
tertio eius adducit improbationem. Quod ad primum attinet, alios inquit afferre unum principium formale et duo materialia, alios unum materiale et duo formalia. Primi sunt Platonici principium formale ideam habentes, materialia vero magnum atque parvum, seu excellentiam atque defectum. Secundi sunt diversi generis alii, quorum Parmenides circa unum apposuit calidum et frigidum, Anaximander rarum et densum, Democritus plenum et vacuum, Anaxagoras congregationem et segregationem iteratam, Empedocles vero semel factam. Qui quidem universi circa unum apponentes duo, de duobus alterum accipiunt ad modum excellentiae et habitus, alterum vero defectus atque privationis. Quod ad secundum, argumentatur Anaxagoras hoc pacto: 'omne quod fit, ex ente fit, et consequenter inerat antequam fieret, ideo et extabant omnia simul; unde fieri nil aliud est quam alterari, sive sit per congregationem, ut alii volunt, sive per segregationem, ut nos; si ergo ex contrariis contraria fiunt, contraria sunt in contrariis, et omnia consequenter in omnibus'. Et adducit duplicem cautelam: prima quod propter eorum parvitatem omnium

partes in omnibus non apparent, secunda quod unumquodque ab eo quod superabundat denominatur. Quod ad 6r tertium, taxatur primo Anaxagoras, tum quia tollit scientiam principiorum, tum quia partium scientiam aufert (in via enim sua nihil erit cognoscibile); tum quia contingeret totum quantumcumque esse secundum magnitudinem et parvitatem, si partes determinatam quantitatem non admittant; tum quia si segregatio stabit, non erit quodlibet in illo residuo ex quo segregatio facta est, si vero non stabit, erunt infinita in infinitis infinities, quod est valde absurdum; tum quia vanam mentem introducit, utpote impossibilia quaerentem (nunquam enim fecisse poterit segregationem quam semel ordita est facere, et secundum quantitatem, cum non sit minima magnitudo, et secundum qualitatem, quoniam inseparabiles sunt passiones); tum tandem quia similia ex similibus semper fieri dicit, non considerans quod quamvis lutum dividatur in luta, non tamen lateres in lateres et domus in domos. Melius ergo dixit Empedocles finita constituens.

CAP. II. 6v

—

ARTICVLVS I.

Cum antiquorum cribrarit sententias, de principiorum veritate determinare instituit, et primo quantum ad eorum contrarietatem spectat.

Id vero, inquit, quod ex antiquorum sententiis elicimus, est quod omnes contrarietatem in principiis agnoscunt, ut per eorundem positiones inducendo est manifestum. Et quidem non sine ratione. Sunt enim principia prima quaecunque ita se habent ut ex aliis non fiant, ex alterutris non fiant, et ex iis omnia fiant; porro prima contraria

sunt eiusmodi. Quae cum sint prima, non fiant ex aliis oportet; cum sint contraria, non fiunt de communi substantia; cumque omne quod fit ex suo fiat contrario vel medio, et omne quod corrumpitur in contrarium corrumpatur vel medium (ut tum in simplicibus, tum in compositis quae fiunt est manifestum), sequitur ut omnia tandem fiant ex his contrariis, tandemque ad prima haec contraria reducantur universa. Licet autem omnes in hoc conveniant quod contraria faciant | principia, tanquam non ratione 7r
ducti, sed veritati coacti, item quia alterum sumunt ut melius, alterum ut deterius; differunt tamen quia alii priora secundum sensum, ut qui calidum et frigidum dixere (et apud istos principia sunt singularia), alii secundum intellectum priora et notiora posuere, ut qui rarum et densum, magnum et parvum, litem et amicitiam; et apud istos principia sunt universalia.

ARTICVLVS II.

Secundo quod ad eorum numerum attinet.

Consequens est, inquit, de eorundem numero determinare. Primo igitur non est unum principium, cum contrarietas exigatur in principiis. Secundo non sunt infinita, tum quia secundum hanc viam impeditur atque tollitur scientia, tum etiam quia melius cum principiis determinatis rerum positio salvatur per Empedoclem, quam cum infinitis per Anaxagoram. Tertio non sunt duo; contrarium enim nec producit alterum, nec producitur ex altero: neque enim discordiam concordia facit. Quarto debent esse tria; unum quippe, quod non sit contrarium, contrariis est subiiciendum; quod cum ex illis duobus non sit et ex eo cum illis

sint universa, non minus iis principium est dicendum. Quinto non sunt plura tribus, idque tum ex parte contrario- 7v rum est manifestum, tum etiam ex parte subiecti. Ex parte quidem contrariorum, quia etsi sint plura contraria, non tamen omnia semper et in omnibus manent, quod maxime conducit ad hoc ut prima sint principia, sed sunt ex prioribus plurima. Dulce quippe et amarum, asperum et lene, iuxta Parmenidis sententiam ex caliditate sunt atque frigiditate. Aliud igitur duobus ipsis addere non est necesse. Ex parte etiam subiecti, quia ad omnem transmutationem naturalem sufficit unum duorum contrariorum subiectum. Istis consideratis tria esse elementa rerum videbitur, sicut et aliorum dogmata constare faciunt, licet horum prisci duo agere et unum pati, posteriores vero duo pati voluerint.

ARTICVLVS III.

Tertio ad venandum numerum et quidditatem principiorum plurima fundamenta iacit.

Antequam, inquit, principiorum propria speculemur, quaedam se offerunt praeponenda communia. Sint ergo quattuor divisiones et | quinque illationes. Divisionum ergo 8r prima est, quod eorum quae fiunt alia complexe fiunt, ut inmusicus homo fit musicus homo; alia incomplexe, ut homo fit musicus. Secunda: eorum quae fieri dicuntur alia manent post transmutationem, ut subiectum transmutationis, et de ipso dicitur hoc fit hoc, ut homo fit musicus, licet aliquando dicatur ex lapide fit Mercurius, non autem lapis fit Mercurius; alia non manent, ut privatio formae advenientis, et de hac dicitur ex hoc fit hoc, ut ex immu-

8 caliditate, sunt 22 inmusicus] in musicus 27 *forse* formae advenienti *o meglio* forma adveniente

sico fit musicus. Tertia: eorum quae fiunt alia fiunt per trasmutationem, ut statua ex aere; alia per appositionem, ut acervus ex lapidibus; alia per abstractionem, ut Mercurius ex lapide; alia compositione, ut domus; alia alteratione, ut quae vertuntur secundum materiam: in quibus omnibus semper est aliquod subiectum. Quarta: eorum quae fieri dicuntur alia fiunt simpliciter, ut substantia cuius est generatio et corruptio, cui factioni materia prima subiicitur; alia fiunt secundum quid, ut accidentia quibus subiicitur subiectum in actu. Illationum vero prima est, quod in omni transmutatione naturali de subiecto transmutationis dicitur hoc fit hoc, quia manet. Secunda, quod de privatione dicitur proprie ex hoc fit hoc, | quia non manet. **8v** Tertia ex dictis duabus, quod privatio atque subiectum non sunt idem secundum rationem, quamvis secundum numerum. Quarta, quod in omni transmutatione naturali duo (puta subiectum atque privatio) praecedunt et duo (nempe subiectum atque forma) in re facta permanent. Quinta, quae consequitur quartam, quod duo sunt principia per se, ut puta quae in re facta permanent; tertium est per accidens, quod non perseverat. Sexta, ut principia duo. per se; tria, si connumeretur ipsum per accidens; quorum quidem subiectum est unum numero, duo ratione. Septima, quod contrariorum alterum, quod est per accidens, non est quodammodo necessarium; sufficit enim alterum contrariorum quandoque absentia sua atque praesentia mutationem efficere.

ARTICVLVS IV.

Quarto ex conditionibus eorum infert uniuscuiusque rationem.

Offert tandem (ut ex eius fundamentis est manifestum) definitionem materiae et privationis: et de formae, se ip-

30 formae, se] *sic*

sum excusat, ratione | non adducta. Dicit ergo materiam: 9r 1. primum subiectum, 2. ex quo fit aliquid primo per se et non secundum accidens, 3. cum insit, 4. cognoscibile per analogiam ad formam, 5. pars substantiae physicorum, 6. nec simpliciter ens, nec simpliciter non ens, 7. appetens formam, ut foemina marem, 8. ingenerabilis, cum ex ipsa omnia, 9. incorruptibilis, cum in ipsam omnia. Privationem dicit: 1. ex qua fit aliquid primo secundum accidens, non per se, 2. non extans in facto, 3. cognoscibile secundum negationem formae cum dispositione ad ipsam, 4. privatione non ens, 5. ratione cuius materia formam appetit, 6. terminus a quo in generatione, 7. non generabilis, quia principium, 8. non corruptibilis, quia non in principium (evanescere enim potius dicitur, seu cessare), 9. quoddam ad maleficium pertinens. Formam vero quid sit, quomodo sit, et quam multiplex, determinare spectat ad metaphysicum, praeterquam quod de corruptibilibus in posterioribus considerabitur. Haec ex Aristotele. Porro si quis formam, quae est physicum principium, ut duobus aliis respondet principiis, nosse desiderat, poterit eam sumere ex conditionibus tum oppositis tum similibus praedictorum. Est ergo principium 1. dans esse | simpliciter, 9v 2. immediate primo subiecto adveniens, 3. ex quo fit aliquid per se, 4. in re facta permanens, 5. ad cuius analogiam materia est cognoscibilis, 6. pars substantiae physicae, 7. ingenerabilis, 8. incorruptibilis, 9. quoddam divinum, optimum et appetibile.

---

7 in corruptibilis

IORDANI BRVNI NOLANI 10r

DE PHYSICO AVDITV ARIST.

LIB. II.

CAPVT I.

ART. I.

Quid sit natura definit, de qua num sit quaeret insensatus.

Cum naturae species insinuarit Arist., naturae nunc definitionem intentat. Primo igitur eorum quae sunt divisionem adducit, inquiens: alia sunt a natura, ut simplicia corpora et ex iis formata; alia ab aliis causis, puta voluntate, casu, fortuna et (si quae sunt) caeteris. Secundo affert differentiam istorum ab aliis, inquiens quae sunt a natura intrinsecum, quae vero ab aliis causis extrinsecum principium agnoscere. Tertio naturae definitionem infert, naturam inquiens esse principium et causam motus et quietis, in quo est primum, per se et non secundum accidens. Quarto naturalium definitionem, dicens: | naturam ha- 10v
bentia sunt, quae huiusmodi principium habent. Quinto ea quae secundum naturam sunt definit, haec inquiens esse et quaecunque secundum se naturalibus insunt, ut igni

---

17 *abbiamo sostituito* dicens *a* diem

sursum ferri. Tale vero principium intrinsecum esse, ridiculum est ostendere, cum nihil ipso magis extet manifestum.

ARTIC. II.

Naturam duplicem et quodammodo triplicem esse.

Hæc, inquit, natura duplex est principium, materia videlicet atque forma. Materiam quidem esse naturam est manifestum, tum ex hoc quod primum informe subiectum maxime natura existimatur, ut ex lecto putrescente declarat Antiphon, et ex auro quod in aquam et ligno quod in terram vertitur alii; tum etiam ex antiquorum communi sententia, qui sane totam rei substantiam atque naturam (utpote unum perpetuo manens, supra quo infinitae formae variantur) materiam esse crediderunt, quos quidem per pueros patrem a matre non distinguentes figurasse possumus. Formam quoque naturam esse: primo ex hoc quod ipsa entia na|turalia distinguit atque denominat, haud **11r**
aliter quam artificialia denominet ars; secundo ex hoc quod a forma similitudo ab agente in passum et a producente in productum transmittitur; tertio ex eo quia si materiam, propter quam naturalia sunt in potentia, naturam dicimus, cur non maiori ratione formam, cuius merito sunt in actu? — quarto quia ideo lignum non lectulum esse natura dicebat Antiphon, quia non lectulus sed lignum per generationis actum redit. Formam igitur substantialem naturam dicimus, quandoquidem ex homine fit homo. Privationem quoque si cui naturam appellare libuerit, non satis aberrat, si forte aberret; privatio quippe

---

16 osse primo

forma quae abiicitur est. Porro utrum in generatione substantiarum formae substantiales contrarientur, postea videndum.

ARTIC. III.

Ex hoc quod est determinatum quid et quotuplex sit natura, sumit ansam adducendae differentiae inter physicum et mathematicum.

Differunt, inquit, mathematicus a physico. Physicus enim formam cum materia | considerat atque motum, unde **11v** eiusdem ratio est, veluti de simo. Idque tribus manifestamus rationibus. Primo enim, sicut ars, quae naturam imitatur, domus materiam considerat atque formam, ita etiam ipsa natura, cuius est pedissequa. Secundo, quia eiusdem facultatis est finem et ea quae ad ipsum conducunt speculari. Tertio, quia eiusdem scientiae est utriusque relativorum habere rationem. Mathematicus autem (qui duplicis est generis; alter enim est non purus, alter vero purus) qui non purus est, determinat quidem formam ad materiam, sed non ad sensibilem, quatenus essentiale rei constitutivum principium existit, ut patet in perspectiva, musica et astrologia; qui vero purus est et nihil habens physicis affine, a materia prorsus abstrahit atque motu, quemadmodum in arithmetico patet et geometra. Hic tamen abstrahens, ob id ipsum quod abstrahit non est falsus; aliud enim est si hoc sine illo, aliud si hoc esse sine illo quis consideret.

---

22 quemodmodum

CAPVT II. 12r

ARTIC. I.

Convertitur ad causarum genera in naturalibus contemplanda.

Hinc, inquit, ad rerum naturalium earundemque scientiae causas enumerandas definiendasque convertamur. Harum ergo consideratio est primo quantum ad earum rationes; prima namque est materialis causa, ex qua et de qua aliquid est, hoc pacto ut insit; secunda formalis et exemplaris est ratio ipsius quod quid erat esse; tertia agens est, unde principium mutationis primum; quarta finalis est, cuius causa et gratia cuius. Secundo quantum ad earum proprietates, quarum prima quod eiusdem rei sunt plures causae, secunda quod diversimode sunt diversae, tertia quod sunt sibi invicem causae, quarta quod eadem potest esse contrariorum. Tertio quantum ad earum sufficientiam, cum omnes causae ad istas reducantur; ad primam enim reducuntur elementa syllabarum, materia vasorum, elementa mixtorum, et suppositiones conclusionum etc.; ad secundam definitio, compositum, exemplar etc.; ad 12v tertiam semen, instrumentum, vehiculum, dirigens, consilians etc.; ad quartam verum, opinatum, apparens, medium, ultimum, mediocre summumque bonum. Quarto quantum ad earundem modos seu distinctiones, quarum prima causarum alia prior, alia posterior; secunda earum alia per se, alia per accidens; tertia alia complexa, alia incomplexa; quarta alia ut potens seu virtute, alia ut ope-

---

19 diffinitio 22 sumumque 24 prima. Causarum

rans seu actu. Sed primi sex modi per duos istos ultimos duplicati reddunt duodecim. Quinto quantum ad earum regulas, quarum prima est quod causae in actu particulares simul sunt cum suis effectibus, causae vero in potentia non sunt simul; secunda quod in scientiis speculativis summam oportet causam quaerere; tertia quod causae universales de universalibus afferendae, de particularibus vero particulares.

ARTIC. II.

Transit ad causas per accidens, casum atque fortunam, quae circa naturalia versantur.

Causam efficientem occultam duplicem intelligit, fortunam videlicet atque casum, pro | quarum consideratione 13r
dirigenda primo aliorum opiniones adducit. De quorum primis dicit eos dubitare sint nec ne, tum quia omnibus se determinatam adsignare causam non diffidunt, tum etiam quia de antiquorum sapientum numero nullus extat, qui talem fuerit complexus considerationem. De secundis inquit eos hanc maximam facere causam, quorum unus est ex fortuito concursu multa componens et generans Empedocles. De tertiis ait eos hanc longe maiorem facere causam; Democritus enim fortuito atomorum concursu non haec inferiora modo sed et caelum ipsum et omnia constitui vult et ordinari, imperite animalibus et plantis determinatam, divinioribus autem atque sempiternis indeterminatam [in] causam tribuens. De quartis ait eos habere fortunam causam nobis in manifestum, et eu quoddam divinum atque felicius.

---

13 dirigenda. Primo 19 e 21 fortuitu 21 athomorum 26 *leggi* nobis inmanifestam (*cf. Aristot. p. 196b 6*) 27 faelicius

Secundo fortunam definit eam inquiens esse causam 1. citra haec quae fiunt semper atque frequenter, 2. citra haec quae gratia alicuius et per electionem, 3. per accidens, 4. indefinitam, 5. de genere infinitorum quae uni efficiendo possunt contingere, 6. vel non intendenti vel aliud intendenti eveniens, 7. de eorum genere quae a proposito fiunt, adeo ut circa idem mens atque | fortuna versari vi- **13v**
deantur, 8. quid extra rationem recte dictum, 9. eufortunium vel infortunium denominans, cum magnum bonum vel malum accidat, vel modicum abfuerit ut accidant.

Tertio casum iis ipsis quibus a fortuna differre intelligitur definit. Fortuna enim in ipsis quibus actio competit, intelligitur operari; inanimata enim, bestias et pueros metaphorice fortunatos dicimus, ut Protarchus 'felices lapides quibus arae diis sunt erectae'. Fortuna quoque remotior est ab iis quae natura fiunt, quam ipse casus; si enim monstra et omnino quid praeter naturam naturalibus eveniat, ipsum non ad fortunam, sed ad casum referre consuevimus.

Quarto per propria principia eorum sententiam, qui hanc mundi effectricem opinati sunt, eliminat. Ait enim causam per accidens agentem non debere esse ante mentem atque naturam, quas intelligimus esse per se causas, et consequenter primas tenere debere.

ARTICVLVS IV.

Ostendit naturalem omnes causas contemplari, et ex omnibus causis demonstrare.

Physicum, inquit, nullum causae genus praetereat. **14r**
Primo quia multoties tres causae, ut homine hominem ge-

---

11 faelices *c sim.*

nerante, forma, finis et agens concurrunt in unum, et ipsae non sine subiecto conveniunt. Secundo quia physicus considerat quae mota movent, alio circa immobile, alio circa incorruptibile mobile occupato; et considerat in iis physicus quid fiat post aliquid, quid fecit primum, quid sustinuit et cuius causa. Tertio quia in naturalibus reddendum est propter quid secundum omne causae genus; quaerenti enim: propter quid hoc? dicitur: 1. quia ex hoc, 2. quia per hoc, 3. quia ab hoc, 4. quia propter hoc. Quarto quia si causae genus aliquod esset dubitabile, ipsum esset causae finalis; quidam enim ad causam materialem referentes omnia, finalem etsi quodammodo tangant, hi quidem per concordiam, ii vero per intellectum, valere tamen sinentes, e medio tollunt. Sed horum mox arguenda suscipitur sententia.

ARTIC. V.

Ut intelligatur naturalem etiam causam finalem contemplari debere, naturam astruit agere propter finem.

Impossibile, inquit, et inconveniens est ex intento non 14v
agere naturam. Primo quia secundum eam omnia fiunt ut semper atque frequentius, tamquam non ut forte fortuna quippiam obtigerit. Secundo quia omne quod natura fit, ita agitur ut agi aptum est atque natum; haud enim aliter quam si ab arte fieret, posteriora prioribus ordinando domum aedificandam construeret. Tertio quia si ars, quae ut posterius ad prius refertur ad naturam et eiusdem aemulatrix, imitatrix et aliquando perfectrix apparet, agit propter finem, cur non et illa cuius est pedissequa? Quarto quia animalia consultissime et dispositissime agunt, sicut et plantae frondes ad fructuum conservationem producunt;

9 quia ab] quid ab 25 odificandam 26 emulatrix

quae tamen non arte nec deliberatione, sed ipsa natura aguntur. Quinto quia propter formam, quae quid ultimum est atque finis, operatur. Sexto quia ubi sunt determinata media et certus ordo procedendi inspicitur, necessario operationem ad finem licet argumentari. Septimo quia quae ex determinatis migrant principiis, ad certos etiam tendunt fines; non enim ex quolibet semine quodlibet educitur, neque a quolibet efficiente proximo quilibet effectus. Octavo quia dubium de monstris, quae contingunt in iis quae a natura | proficiscuntur, nullum est; quia et ars quantumvis **15r** errans per finem operatur. Nono quia dubium de deliberatione, quae non apparet in natura, vanum est; artifex etenim quanto maturior et exquisitior est, minus (ut in citharoedo est manifestum) deliberando facit. Decimo quia dubium sumptum a bovigenis, qui fuisse dicuntur, dirimitur per vitigenas, quae nec esse possunt neque fuisse.

ARTICVLVS VI.

Infert in rebus naturalibus esse necessitatem et absolute et ex suppositione, ex necessitate videlicet materiae atque finis.

Ad eos, inquit, qui ideo hominem aiunt habere pedes et ossa densiora inferius, caput autem et ossa spongiosa atque rariora et cavernosa superius, quia materiae necessitate gravia deorsum et levia sursum feruntur, respondendum talem dispositionem sine principiis materialibus convenienter dispositis non esse quidem, veruntamen et esse propter aliud oportet. Et ideo distinguimus necessarium ob talem materiam a necessario propter talem finem; in serra enim est necessitas materiae, quam oportet esse du-

8 roximo 10 quatumvis 14 cytharaedo

ram, et | est necessitas propter finem, quatenus acutis dentibus formatam ad secandum esse oportet. 15v Quam quidem necessitatem sicut in naturalibus, ita et in speculativis contemplamur, in quibus et praemissae sunt materia, ut ex ipsis fiat illatio, nec non terminorum dispositione conclusionis ipsius gratia praeconcipiuntur. Cum ergo causa materialis sit propter formam atque finem, et fini subserviat forma et formae materia (scissio namque serram et serra ferrum exquirit), ideo definitio physica cum hoc quod a materia sumitur debet et principalius a forma fineque desumi.

---

9 diffinitio

LIBRI TERTII 16r

CAP. I.

—

ARTICVLVS I.

Adducit rationem considerationis de motu, eiusdem genus inquirit, definitionem affert, eius convenientiam probat.

De motu hoc ordine speculatus est. Primo ea hic ratione considerandum, inquit, de illo, quia cum natura motus sit atque quietis principium, ignorato motu ipsam quoque necessarium sit ignorari. Secundo definitionem vestigat et affert dicens, quod cum eorum quae sunt alia sint actu tantum, alia potentia tantum, alia acta simul atque potentia; et eorum quae actu alia quid, alia quale, alia ad aliquid, alia aliud designent praedicamentum; et eorum quae ad aliquid alia sunt secundum superabundantiam et defectum, alia secundum activum et passivum et omnino mo|tivum et mobile: motus non erit praeter genera in qui- 16v
bus est motus, idest substantiam, quantitatem, qualitatem atque locum, neque aliquid iis commune vel ab iis extraneum esse potest; extra enim haec nullum est commune univocum accipere. Cum etiam secundum genera rerum motus dividatur, et in generibus omnibus dupliciter aliquid inveniatur, vel videlicet sicut perfectum atque forma vel sicut imperfectum atque privatio, cumque tot motus et mutationis extent species quot et entis; motum definimus esse actum existentis in potentia secundum quod huiusmodi, unde in substantia generatio est actus generabilis

10 affer

secundum quod generabile, in quantitate augmentatio augmentabilis secundum quod augmentabile, in qualitate alteratio est actus alterabilis secundum quod alterabile.

Tertio definitionis congruentiam manifestat, tum primum dicens motum eius esse actum in quo semper invenitur, hoc autem est existens in potentia, puta mobile (item est in ipso mobili quatenus tale, statuificatio quippe non est actus aeris quatenus aes, sed qua statuificabile); tum deinde dicens aedificabilis qua aedificabile non est actus quando est aedificium vel domus, nec an|tequam aedifica- **17r** [illegible]s admoveat, sed cum actu aedificator aedificat; [illegible]dem inconvenientiam alienarum adferens defini[illegible]um, quae motum in alio quodam genere collocant. Si [illegible], inquit, motus esset alteritas, inaequalitas, non ens [illegible]uibuscumque motus reperitur, in iisdem et isthaec comp[illegible]ur; porro mutationem non magis ex iis et in qu[illegible]x et in oppositis identitate, aequalitate et ente [illegible]i conv[illegible]itur.

Quarto causam difficultatis eius, quae antiquos in errorem induxit, astruit inquiens illorum inde profectum esse errorem, quoniam indeterminatum quoddam et ad alteram Pythagoricarum coordinationum pertinens apparet, quae imperfectorum privativorumque seriem continet principiorum; non enim tam esse hoc vel tale, quam fieri hoc vel tale videtur, quod ad certum quoddam pertineat genus id ipsum quod movetur. Constat enim motum neque potentia neque actu quippiam significare; nam et quod esse potest et quod iam actu quantum est, secundum quantitatem necessario non movetur, atqui omne praedicamentum per id quod est actu vel potentia dividitur. Nos vero actum in perfectum et in imperfectum distinguentes motum dicimus actum cognitu quidem difficilem, non ta|men **17v**

falsum seu qui nequeat esse. Neutrum igitur erit extremorum, sed medium quoddam inter actum simplicem simplicemque potentiam.

ARTIC. II.

An mobilis, an moventis actus quidam sit motus.

Quia, inquit, movens primo est in potentia et postea in actu sicut et mobile, item quia et movens cum non movet et mobile cum non movetur quiescere pariter dicuntur; ultra quia omne naturale agens quatenus naturale ita movet ut et moveatur, ita inquam movens est ut et sit mobile; motus videtur esse vel actus moventis ut ad quem principaliter, vel moventis pariter atque mobilis ut ad quos communiter spectet. Quocirca motum definimus alterius quidem tamquam accipientis atque sustinentis, alterius autem velut operantis et efficientis actum. At inquies: cum movere actio quaedam sit et moveri passio, eruntne motus iidem an diversi? Si quippe diversi, aut ambo in agente, et tunc movens omne movebitur; aut ambo in patiente, tuncque diversis idem agetur motibus; aut passio in patiente et actio in agente, et tunc (cum | actio motus **18r**
quidam sit) movebitur omne movens; aut passio in agente et actio in patiente, tuncque actus non reperietur in eo cuius est actus. Respondet se non intelligere idem esse actionem atque passionem, sed eumdem actionis passionisque subiectum motum, qui huius quidem est ut in quo, illius autem ut a quo; unde nec agentem pati, nec discentem docere consequens erit.

---

1. 2 extraemorum

ARTIC. III.

Concludit rectam atque completam esse motus definitionem.

Recte igitur, ait tandem, motus universaliter est definitus, quandoquidem eadem forma specierum ipsius definitiones sumere liceat; ut enim motum esse actum mobilis secundum quod mobile definis, ita alterationem alterabilis, aedificationem aedificabilis, medicationem medicabilis actum secundum quod huiusmodi poteris definire.

CAPVT III.

Aggreditur tractatus de iis quae motum consequuntur, et primo de infinito.

—

ARTIC. I. 18v

Cur physici sit agere de infinito. Item de opinantium convenientia et differentia.

Ea, inquit, ratione, qua de motu qui in definitione naturae collocatur agendum duximus, et de iis quae motum consequuntur aeque oportere credimus. Horum autem unum est infinitum, quod pluribus de causis non praetermittere oportet; primo quia motus continuorum quoddam est, et definientibus continuum statim occurrit infinitum; secundo quia physici consideratio generaliter circa magnitudinem versatur atque motum, quorum quodlibet (quidquid sit de puncto et passione) finitum perhibetur aut infinitum; tertio quia omnes, qui de naturalibus consideravere, de infinito meminisse constat; quarto quia [quae] ex eorum sententiis quid minus bene, quid etiam

---

13 difinitione 14 quae] quo

consentaneum magis fuerit allatum oportet examinare. Ipsi nimirum in eo quidem conveniunt, primo quod ipsum principium quoddam ponunt eorum quae sunt; secundo quod ingenitum quid sit atque incorruptibile quale, (si principium sit) oportet esse; tertio | quod dicentes extra in- **19r**
finitum aliam causam, utpote intellectum vel concordiam, ipsum aiunt continere atque gubernare universa; quarto quia (ut Anaximander plurimique alii dixerunt), cum immortale sit atque incorruptibile, ut divinum quoddam semper effertur. Porro in eo differunt, quod alii, quales Pythagorici fuerunt atque Plato, ipsum veluti substantiam per sese existentem intrudunt; alii vero, quales fuere Anaxagoras atque Democritus, velut accidens quoddam concepere; dum inde quidem Pythagorici in ipsis duntaxat sensibilibus ponerent infinitum, Plato vero non in sensibilibus collocaret modo, sed et in ideis. Pythagoras item in ipsis extra caelum et eiuscemodi margine incomprehensibilibus praedicavit, Plato vero extra caelum nullum esse corpus intellexit. Pythagoras quoque unum numerum parem qui ab impari comprehendatur atque finiatur astruit infinitum, Plato autem duo, magnum scilicet atque parvum, celebrat infinita. Hinc vero Anaxagoras ex infinitis similibus ipsum faceret constare corporibus, Democritus autem ex infinitis secundum figuram differentibus; Anaxagoras item ex quolibet fieri dicat, Democritus autem id neget.

ART. II. **19v**

Quinque rationes quibus esse, et duae quibus non facile definibile videtur infinitum.

Ex quinque capitibus inquit infinitum persuaderi: 1. ex tempore quod nec principium habet neque finem,

2. ex magnitudine quam in infinitum sectilem intelligunt mathematici, 3. ex infinita generationum corruptionumque vicissitudine, 4. ex eo quod omne finitum ad aliquid extra ipsum finiatur oportet, nec facile est terminum eiusmodi (quominus intentum habeatur) adducere, 5. ex eo quod intellectus numerando, dimensionando et extra caelum spacium sive vacuum sive plenum imaginando, nec non infinitos considerando mundos, contineri minime potest, nec satis rationabiliter arguetur eo respicienti, quod esse et posse non differant in perpetuis. At vero quid sit infinitum non ita est conceptu facile, tum quia dubium est an sit substantia, an per se cuidam accidens naturae, an neutro se habens modo nihilominus tamen sit; tum etiam quia quaestio multiplex est, cum plurifariam dicatur infinitum: 1. quod intransibile, 2. quod transitum habet inconsummabilem, 3. | quod vix transiri queat, 4. quod aptum est 20r
habere quem non habet transitum. Ubi omne aut in appositione aut divisione aut in utroque consistit.

ART. III.

Non esse infinitum separatum.

His, inquit, qui infinitum separatum intelligunt, plures adversantur rationes: 1. haec quae non poneret ipsum substantiam, cum ipsa non sit divisibilis, praeterquam vocem quis dixerit infinitam, nec accidens poneret, quandoquidem eius subiecto magis principii conditio conveniret; 2. haec quae subiectum ipsius, magnitudinem atque numerum, non separat a sensibilibus; 3. haec cui non est possibile ipsum partibile fingere vel impartibile, si impartibile ut vox non hic quaeritur, et partibile quodcumque sit

semper erit compositum, quale, sive eiusdem sive diversae rationis partibus constet, impossibile est quod infinitam admittat quantitatem, quam si alioqui mathematice capias vel metaphysice, hîc, ubi de naturalibus sensibilibusque considero, non urgebo.

ART. IV. 20v

Non esse infinitum in sensibilibus positum.

Ad eos autem qui infinitum in sensibilibus collocant, primo sunt rationes logicae: 1. quia magnitudine infinitum quomodo esse potest, cum omne sensibile corpus superficie terminatum sit atque locatum? 2. quia quomodo erit multitudine infinitum, cum numerum non ut innumerabilem sumere oporteat? Secundo magis physicae extant rationes. Prima quia si sit actu corpus infinitum, aut simplex erit aut compositum. Atqui compositum non est; non enim ex finitis componetur (nam quomodo magnitudine finitis partibus constabit?), nec partem aliquam habere poterit infinitam, siquidem vel illa totum occupabit, vel si locum alteri concederet, ipsum tamen si sit contrarium destruet et absorbebit, quemadmodum infinitae virtuti virtus non contrastabit infinita. Haud enim evades fingens infinitum debilioris esse virtutis, ubi multiplicata proportione infinitum finiti virtutem non modo exaequabit, sed et residuo quod semper est accipere superabit. Neque etiam non frustra a qualitatibus elementorum finxeris absolutum; quo|modo enim 21r erit principium, si illud non sit in quod ea quae sunt conflata resolvantur? Qualecumque sit igitur tale medium sine contrarietate non erit, cum omnis mutatio fiat ex contrariis. Secunda quia (cum omne corpus naturale ut alicubi

sit naturalem habet aptitudinem, naturalis quoque locus conveniat universis, nec non idem sit totius locus atque partis oportet) si sit sensibile corpus infinitum, vel homogeneum erit vel heterogeneum. Atqui quomodo primum? Quia si in loco erit naturali, oporteat ipsum non minus quam locatum esse infinitum, quod consequenter perpetuo quiescat et extra se locum alium non admittat; in loco autem non naturali situm ob dimensionis immensitudinem infinite a loco naturali distans non ad ipsum umquam poterit pervenire, nec in eodem quiescere consequenter. Quomodo secundum, si, vel compositum ex finitis ponatur vel ex infinitis, eadem quae supra sequentur inconvenientia? Mitto quod cum cuilibet corpori naturali locus naturalis debeatur, infinita loca sicut et infinita specie distincta corpora ponerentur. Neque dubium evitabit Anaxagoras, si dixerit eiusmodi corpus in se ipso quiescere, primo ex eo quod non valet isthaec consequentia 'infinitum naturaliter in se ipso | quiescit, quia infinitum est in se ipso'; plerumque 21v enim aliquid violentia est alicubi, quod quidem etsi esse dicatur in se ipso, in se ipso tamen quiescere dici non poterit; secundo ex eo quod si infinitum quiescat in se ipso, id erit propter infinitatem, at vero longe aliam oportet quietis assignare rationem, siquidem eadem causa qua nunc terra quiescit, in eodem loco quiesceret si esset infinita; tertio quia omne sensibile corpus est grave vel leve, ideoque vel a medio mobile vel ad medium, at infinitum eo quod sursum et deorsum, medium et extremum est certe caret; quarto quia omne sensibile corpus est alicubi, alicubi vero et locus semper determinatum est atque finitum;

---

4 etherogeneum 5 opporteat *e* 22 opportet 11. 13 secundum? si vel—inconvenientia. Mitto 27 extraemum

quinto quia constat unicuique corpori naturali locum deberi naturalem atque proprium, quod ex istiusmodi finiatur differentiis, sursum, deorsum, ante, retro, dextrum, sinistrum, quae certe non solum nobis, sed et naturae totius sunt determinatae.

ART. V.

Ostendit quomodo sit et quomodo non sit infinitum, item quale in permanentibus et successivis, quale secundum appositionem et divisionem.

Ut veritatem istiusmodi problematis insinuet, quinque 22r
producit sententias Aristoteles, quarum prima est: cum eorum quae sunt quaedam actu sint, quaedam vero potentia, infinitum (sive appositione sive ablatione sumatur) non actu est, sed potestate, non autem ita potestate ut nullo pacto actu, nec ita actu ut nullo pacto potestate; actu enim quiddam est ubi infinitae partes semper sunt accipiendae, potentia quoque non actu quiddam est ubi infinitae partes numquam erunt acceptae. Ita igitur est infinitum ut actum respiciat incompletum, quatenus semper post factum ad aliquid faciendum respiciatur, et ita ut actum non respiciat completum, cuius videlicet nulla sit ulterius pars accipienda. Secunda: differt infinitum in successivis ubi tempore prius acceptum cum postea accepto non habetur, ab infinito in permanentibus ubi magnitudinis divisione prius acceptum cum posterius accepto permanet; conveniunt autem quia utrobique non in accepto, sed in ipso accipere comperitur infinitum. Tertia: infinitum secundum appositionem et secundum divisionem se consequuntur, quia alteri potest apponi quod ab altera magnitudine removetur.

---

3 diferentiis

Quarta: appositio non fit per infinitas eiusdem proportionis | partes; non enim quacumque magnitudine finita data 22v contingit esse maiorem. Quinta: cum infinito secundum appositionem oppositum sit infinitum secundum divisionem, errat Plato duo faciens infinita, magnum et parvum, quibus non utatur ubi dividens pervenit ad minimam unitatem, apponendo vero sistit in denario, in quo (ut ipse ait) numerorum species terminantur.

ART. VI.

Improbat aliorum formam definiendi infiniti.

Infinitum dixerunt illud esse cuius nihil est extra accipere, quos pluribus modis arguit Arist., primo inquiens infinitum potius dici debere cuius quantitatem accipientibus semper aliquid aliud offeratur accipiendum, quod dupliciter manifestat, tum videlicet ex consueto vulgatoque accipiendi modo, ubi propter continuam partis post partem acceptionem annulos consueverunt appellare infinitos, quae sane similitudinaria, non propria est significatio; tum etiam quia eiuscemodi definitio magis toti atque perfecto, quam infinito convenire videtur. | Secundo commemorans eos in- 23r finitum ut totum quoddam atque continens accipere, cum potius ut pars, ut incompletum, contentum et imperfectum intelligi debeat, ubi non actu sed in potentia divisionis et appositionis consistere videbitur. Tertio illis improperans quod (quasi infinitum ipsum vigentissimus quidam actus existat) perfectissimum sentiunt atque divinum, nec non quoddam intelligibilia sensibiliaque continens, ut Plato suspicabatur, cum potius, velut aes ad sta-

tuam, materia sit quaedam atque pars; non enim indefiniti, ignoti atque partis est aliorum haberi formativum, definitivum atque contentivum.

ART. VII.

Declarat in quibus sit infinitum et quomodo.

Infinitum ait primo esse in magnitudinibus secundum divisionem, quia omni data magnitudine datur minor, non autem secundum appositionem, quia omni data non datur maior; secundo infinitum in numeris esse secundum appositionem, quia semper dato numero potest dari maior, non 23v autem quolibet potest afferri minor; tertio in motu et tempore secundum eam divisionem, quae quidem magnitudinis consequitur divisionem (quadam enim analogia motus per magnitudinem et magnitudo per motum sunt divisibilia); quarto in mathematicis, quibus interdum infinita linea infinitaque ponitur superficies, infinito apud eosdem non actu quantam, sed quantamcumque multitudinem seu magnitudinem significante; quinto in materia, quae in causarum genere rationem obtinet infiniti, 1. quia eidem privationis atque potentiae ratio congruit, 2. quia subiectum sensibile per materiam obtinet infinitum secundum divisionem, 3. quia omnes alii utuntur infinito velut materia.

ART. VIII.

Solvuntur in secundo articulo praepositae rationes.

Earum (inquit) rationum, quarum aliae non necessario concludunt, aliae falsas adsumunt propositiones, ad eam,

quae est de infinitis secundum successionem generationibus, dicimus quod cum ex corruptione unius alterius sequitur ge|neratio et e converso, non oportet actu infinitum 24r esse; ad aliam negatur quod omne per aliquid extra ipsum finiatur, et quod omne quod finitur tangat (aliquid enim est quod per suam superficiem intrinsecamque partem finiatur); ad ipsam, quae intellectum imaginantem inducit, dicitur imaginationem nil extra ponere, nec convenire ut semper intelligentiae credamus; ad illam, quae ex tempore argumentatur, dictum est ipsum potentia divisionis et accepto non permanente tendere in infinitum; ad eam, quae ex partibus magnitudinis, pariter dictum est hanc non actu, sed divisionis potentia concedi infinitam.

---

13 concaedi

IORDANI BRVNI NOLANI 24v

DE PHYSICO AVDITV ARIST.

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

De loco, qui secundo consideratur ex iis quae motum consequuntur.

ARTICVLVS I.

Probat locum esse, et de eo naturali philosopho considerandum.

De loco, inquit Aristoteles, ad pertractationis de motu complementum similiter est considerandum, an sit, quomodo sit quidque sit. Primo quia de quidditate loci multipliciter dubitatur, secundo etiam quia de hoc a prioribus nihil exacte dubitatum aut traditum circumfertur, tertio quia omnia quae sunt, alicubi esse existimantur; nusquam etenim esse perhibetur quod | non est. Multa vero 25r sunt quae de loco fidem faciunt quod sit. Primum, quod proxime diximus, quod omnia esse alicubi creduntur; secundum quod motuum communis maxime maximeque proprius secundum locum esse perhibetur; tertium quod translationem corporum esse constat; quartum quod ad certos simplicia corpora terminos adpellunt, quae loci partes atque species perhibentur, quae quidem sunt non tantum nobis quantum in natura determinatae differentiae illae sex; quintum quod apud multos propter loci necessitatem va-

cuum astruitur; sextum quod quibusdam locus non solum esse, sed et mirabilis potentia quaedam videtur ipsius, ut sit ante omnia, sine aliis, sine quo nullum; quem Hesiodus Chaos ante omnia factum appellavit.

ART. II.

Rationes quaedam quibus locum esse dubitatur.

Habere autem inquit dubitationem illius esse. Primo quia cum sit moles quaedam aut ad huiuscemodi aliquod genus referatur, ipsum non sine longitudine, latitudine profunditateque considerabitur; quibus si corpus omne | defini- 25v
tur idemque in loco collocatur, in eodem utique duo erunt corpora. Secundo quia non minus superficiei reliquisque terminis loca debebuntur; porro sicut inter punctum punctique locum nullum est discrimen, similiter videbitur neque inter ulla aliorum, quare nec inter locum ipsumque cuius locus est, quandoquidem praeter punctum, lineam atque superficiem locus nihil esse videtur. Tertio quia non videmus ipsum esse elementum neque ex elementis, sive corpora haec sive incorporea sumantur. Quarto quia ad nullum quatuor causarum genus pertinere videtur, ut inducenti patet. Quinto quia, ut inquit Zeno, si est, erit alicubi, ideoque in infinitum progrediendo semper videtur locus esse loci. Sexto quia si locus non deest corpori nec loco corpus, qui fiet de iis quae augentur? Ex iis patet non solum de esse, sed et de quidditate loci esse dubium.

---

25 quiditate

ART. III.

Rationes quibus videtur locus esse materia vel forma, quae diluuntur.

Locorum, inquit, cum alius quidem communis (in quo plura vel omnia corpora comprehenduntur) sit, alius vero proprius (in quo unum tantummodo continetur), primo ad utriusque rationem respicientibus terminus quidam videbi|tur esse locus, et per consequens species atque forma qua **26r** magnitudo et magnitudinis materia terminatur. Secundo autem locus quatenus distantia quaedam magnitudinis esse fertur, et illud quod sub forma definitur indefinitum quippiam certe ut materia iudicatur, unde in Timaeo pro eodem materia, locus et receptaculum usurpantur. Nos vero neutrum horum possibile esse inde convincimus. Primo quia locus ab eo cuius est locus separatur, ab eo vero cuius haec sunt materia atque forma minime umquam. Secundo (fere ut primo) non est forma locus quia a materia seiungitur, neque est materia quia corpus continet. Mitto quod digressionis causa dici potest ad Platonem numeros ideasque a loco facientem abhorrere, cum tamen dixerit eas a materia, vel magno atque parvo, participari. Tertio quia si locus alterum horum esset, quomodo ad locum corpora naturalia moverentur? Impossibile quidem est eius esse locum, cuius motus sursum non est neque deorsum. Quarto quia si locus forma est aut materia, haecque cum composito, locum moveri in locum locique locum esse. Quinto quia cum ex aëre aqua facta est, certe corpus factum non est in eodem loco in quo corruptum corpus erat; periit ergo locus. At vero quomodo et quae est haec loci corruptio?

---

11 Timeo 24 *si legga* composito ⟨moventur, sequitur⟩ locum (*cf. Aristot. p.* 210a 5) *e più giù forse* in loco *invece di* in locum

ART. V. 26v

Quod cum multifariam aliquid esse in aliquo dicatur, nullo tamen modo in se ipso quippiam esse dicetur. Solvitur ratio Zenonis de loco in loco.

De eo insuper quod est in aliquo distinguens, ait esse 1. ut pars in toto, 2. ut totum in parte, 3. ut species in genere, 4. ut genus in specie, 5. ut forma in subiecto, 6. ut in primo movente, 7. ut in fine, 8. maxime ut in loco. Iam nihil erit in se ipso neque secundum se neque secundum alterum, non enim quia partes in toto et e converso, nec quia forma in subiecto, genus in specie et e converso; nec secundum alium quemdam modum, quia nihil est sui totum, pars, genus, species et caetera. Hinc facile dicitur ad Zenonem quod primus locus est in alio, non autem in se ipso velut in loco, sed sicut habitus quidam atque passio, vel alio modo dictis. Patet etiam quod, cum vas nihil sit eius quod est in ipso, locus materia non possit esse neque forma.

ART. VI.

Praeaccipiuntur quaedam ad manifestandum quid sit locus.

Ut probatam inferat loci definitionem, primo sex sup- 27r
positiones adducit: 1. quod locus continet locatum, 2. quod nihil est ipsius, 3. quod nec locato maior est neque minor, 4. quod locus locato non deficiat, 5. quod loco sunt ex natura rei differentiae, 6. quod naturaliter unumquodque ad suum locum deferatur. Secundo tres connumerat ad bene definiendum conditiones: 1. ut per definitionem dubia diluantur, 2. ut per eam definiti proprietates cognoscantur, 3. ut discordiarum difficultatumque causam insinuet. Tertio

tres alias suppositiones: 7. quod sit inquisitio de loco propter motum secundum ipsum, qui praesertim est latio, qua quidem alia per se, alia vero per accidens moventur, 8. dicit locum proprium proximumque, non autem communem esse locato aequalem, 9. quod in continuo eoque quod et a quo non est divisum aliquid non dicitur esse ut in loco. Quarto ex divisione genus loci inquirit, dicens locum esse aut formam aut materiam aut spacium inter extrema aut terminum. Sed non est primum, quia quamvis terminus sit atque continens, non est tamen terminus eius quod continetur, sed certe continentis. Non est secundum, quia quamvis et materia una eademque manens diversarum sit formarum su|sceptrix, aliud tamen est dicere 'quod 27v erat aqua nunc est aër', aliud autem 'ubi erat aqua nunc est aër'. Non tertium propter duas causas: 1. quia cum hoc pacto idem ponatur locus totius atque partium, non minus quaelibet partium erit actu in loco quam ipsum totum, unde infinita consequenter erunt loca, 2. quia unus locus alio et alius alio indigeret, siquidem tale spacium cum locatis corporibus moveri posset, atque ita loci erit locus aliaque multa simul erunt, 3. quia talis ponendus est locus, ut idem sit totius atque partis; partes enim aquae et aëris moventur in aqua vel in aëre, non autem in loco qui loci totius caeli pars est. Quartum igitur erit, terminus, scilicet 1. corporis continentis, 2. immobilis, 3. primus; nam 1. contentum non est spacium, sed corpus latione mobile, 2. totus fluvius qui est immobilis dicitur esse locus navis, 3. ultimum caeli utpote convexum eius est maxime locus sursum, medium vero mundi intra eius concavum est eiusdem locus maxime deorsum. Unde patet tum 1. duos

---

8 extraema   15 duas] *acrà voluto* tres   22 aquo

esse terminos lationum (gravis quidem deorsum, levis vero sursum), tum etiam 2. quod (quia simul cum finito sunt fines) locus simul cum ipsa re quodammodo existat.

ART. VII. 28r

Inferuntur ex posita definitione conclusiones.

Has novem tandem Aristoteles adducit conclusiones, quarum prima est quod corpus, quod habet aliud extra se, ipsum est in loco. Secunda quod universum est in loco ea qua locum mutat utpote suarum partium ratione. Tertia quod quae non sunt partes alicuius totius ipsa secundum actum sunt in loco, quae vero sunt partes possunt quidem aliquando in loco esse. Quarta quod quae deferuntur per se in loco existunt, sicut et quae augentur atque minuuntur. Caelum igitur totum non est in alio nisi per accidens, ubi in circulum pars alia aliam continet; quomodo enim erit alicubi, si non est ipsum et aliquid aliud? Atqui praeter universum nihil est. Similiter et anima non nisi per accidens est in loco. Quinta quod est caelum locus (quia omnia sunt in caelo), non quidem ipsum sed aliquid ipsius, ultimus videlicet quiescens terminus qui tangit mobile corpus; sic enim aqua terram, aër aquam, aether aërem, aethera caelum continet quod ab ullo minime continetur. Sexta quod hinc prius factae solvantur dubitationes: non | enim oportet 1. locum augmen- 28v
tari, 2. esse locum puncti, 3. duo corpora esse simul, 4. locum esse in loco, sed 5. terminum esse in terminato. Septima quod rationabiliter locata omnia tum ad suum talem qua-

---

1. 2 gravis – sursum] *abbiamo aggiunte le parentesi*   15 *forse* ut in circulo; *cf. Philopon. Phys. p. 594, 13 sq.*   24 opportet

lem posuimus locum deferuntur (quod enim non violenter est continuum, ipsum est et congeneum), tum etiam non irrationabiliter in proprio loco quiescunt. Octava quod ipsum quod continetur habet se in materiae modum, ad formae autem modum quodcumque continet. Nona quod de iis crassius et obscurius est definitum ab ipso, de eisdem quandoque subtilius clariusque determinaturo.

CAPVT II.

De vacuo, quod est tertium motus considerationem consequens.

—

ARTICVLVS I.

Quod ad naturalem spectat de vacuo tractare sicut et de loco, et quomodo multipliciter a diversis definiatur.

Propter similem cum ea quae de loco est fidem et in- **29r**
credulitatem ait Aristoteles physicum debere de vacuo considerare; multis enim vacuum videtur esse locus, ut ex eius multiplici definitione patet. Primo etenim vacuum quibusdam definitur, quod non habet molem cuius est susceptivum, quod idem plenum est cum suscepit; quibus consequenter non differt plenum, vacuum atque locus. Secundo alii definiunt, quod nihil est praeter spacium. Ipsum dicebant esse aërem, quibus temere Anaxagoras obtrudit utres quae aëre repletae magnum pondus sustinent, et clepsydras aqua plenas quarum superius foramen obstruitur. Tertio sunt qui definiunt ipsum, dicentes spacium in quo nullum est sensibile corpus. Quarto existimantes omne ens esse corpus, vacuum dicunt in quo omnino nihil est. Quamobrem aëre plenum vacuum appellabant, contra quos non

oportebat Anaxag. demonstrare aërem esse aliquid, sed quod non sit spacium aliud a corporibus. Quinto sunt describentes vacuum spacium quoddam corporibus insitum ne sint continua, ut dicunt Democritus, Leucippus et alii, tum et extra universum omnia continens. Sexto sunt qui aiunt vacuum esse in quo nihil | est, ubi videlicet nullum **29v**
est corpus; quibus omne corpus est in loco. Septimo consequenter proxime dicti corpus omne putantes esse tangibile, vacuum definiunt in quo non est grave quippiam aut leve; omne enim tangibile tale est. Octavo quia proxime dicti non magis videntur definire vacuum quam punctum, et quia non habent quomodo vacuum dicant spacium lucidum, coloratum et sonorum; alii ideo aliter definiunt, dicentes vacuum esse in quo non est hoc aliquid nec aliqua corporea substantia, unde et vacuum dicunt corporum materiam, quae idem sit quod corporum locus; idque non sine errore dictum esse superius ostendebatur.

ART. II.

Rationes, quae vacuum esse astruant, afferuntur et diluuntur.

Rationum, inquit, quibus vacuum esse affirmant, prima est quia motus localis est, qui latio quaedam est atque augmentatio; vacuum etenim nisi sit, plura quotlibet corpora oportebit esse simul, nec non minimum quodlibet maximum quodcunque susciperet. Unde et Melissus ex eo quia vacuum non est, nec motum esse | dixit universi. Se- **30r**
cunda quia quaedam cogi constringique videntur; dolium enim tantum vini recipit cum utribus, quantum sine iis. Tertia quia per alimentum augetur corpus, non autem ab alio

1 opportebat, 23 opportebit *e similmente altrove* 4 Lucippus 21. 22 augumentatio, *m e cf. p. 183, 15 e altrove*

corpore penetratur. Quarta quia vas cineribus plenum vel farina tantam recipit aquam, quantam vacuum reciperet. Quinta quia extra caelum est spacium infinitum, idque est vacuum quod Pythagorici volunt ingredi mundum ex infinito spiritu quasi respirante caelo, atque ita corporum separari, distingui determinarique numerum. Sexta quia, ni sit vacuum, uni cedenti aliud cedere corpus oporteret; unde et corpore uno moto totus consequenter mundus moveretur. Nos vero ad primum et ultimum respondemus ubi propter motum cessio quaeritur, quod non sit necesse hanc usque ad ultimum, sed ad certum quoddam spacium atque terminum fieri; et Melissum praeteriit quod posset alterari plenum. Ad secundum, quod ad salvandam condensationem seu compressionem non necesse est esse vacuum, sed quod collisa quaedam elabantur. Ad tertium, augmentationes non solum alio ingrediente, sed et eodem quod est alterato fieri, ut ubi aqua in aërem convertitur. Ad quartum, quod et eadem ratio se ipsam tollit, si quidem i|deo **30v**
vacuum non esse ostenditur, quia ex omni parte corpus augeatur. Ad quintum dicimus ipsum Pythagorae authoritate, non aliqua fulciri ratione. Ad sextum sicut ad primum.

ART. III.

Ostenditur non esse vacuum separatum inter latera continentis.

Bifariam ostendit vacuum separatum non esse. Primo rationibus sumptis ex parte motus. Quarum prima est, quod si oportet esse vacuum propter motum, maxime oporteret ponere propter motum localem; atqui simplicia corpora non vacuum, sed propriam naturam habent suorum mo-

---

7 caedenti c caedere 12 praeteruit

tuum causam. Secunda quia vacuum non habet rationem qua quippiam potius ad unam quam ad aliam partem moveatur, nec non simili ratione contentum respicit et a contento respicitur. Tertia quia tam bene partes infinitae quam bene totum essent in loco, si vacuum est spacium separatum. Quarta quia sunt rationes allatae contra id quod locus sit spacium, quae eaedem valent contra vacuum. Quinta quia per ipsum tollitur localis motus; cum enim sit in suis partibus consimile prorsus, quomodo corpus in eo locatum magis ad unam quam ad aliam par|tem moveretur? Nonne 31r hac ratione terram in medio mundi undique similiter a caeli partibus attractam quiescere dicunt? Sexta quia motus naturalis sursum fit aut deorsum, talesque differentiae in vacuo non comperiuntur infinito. Quod etiam si ponatur finitum, diversas eas naturas non admittit. Neque motus violentus (qui naturalem praesupponat oportet) in vacuo erit. Septima quia neque per antiperistasim neque per aëris· pulsum in eo proiectum quippiam cum e manu prodierit feretur. Octava quia non est ratio ut hic potius quam ibi quiescat in vacuo aut moveatur; unde aut quiescet, aut in infinitum feretur consequenter. Nona quia in vacuo quaenam cessio erit? Cur undique et non quacunque similiter feretur ad omnem partem similiter se habens?

Secundo rationibus ex ipsa velocitate tarditateque desumptis. Quarum prima est, quia duabus causis aliquid velocius tardiusque movetur; alia quae est ex parte medii, quod densius est aut rarius, crassius est aut subtilius, unde magis minusque dividentibus resistat; alia quae est maior minorque gravitas levitasve, qua corpus citius vehementiusque aut tardius debiliusque dividatur penetrandum, quod

---

2 qua] qui   17 antiparistasim

maneat vel contrario motu moveatur. At si vacuum sit, motus | consequetur instantaneus, non autem successivus et 31v in tempore. Secunda contingens primam, quia si motus successivus esset in vacuo, idem mobile per spacium plenum atque vacuum aeque velociter moveretur, ut patet plenum ad quantam opus est proportionem subtilianti. Tertia, quia propter differentiam in gravitate, levitate atque figura ibi velocior tardiorque motus non accideret.

Tertio rationibus acceptis ab ipso vacuo. Quarum prima est, quod vacuum non potest localiter moveri ut alteri corpori cedat; non enim tantum est vel quantum quod cubo subingredienti, ut aqua vel aër, locum cedat. Secundum, quia vacui dimensiones cum corporis ingredientis dimensionibus simul erunt; unde non solum duo, sed et quotcumque erunt in eodem loco. Tertia, quia si ponentibus vacuum a vacui dimensionibus nihilo differant, simulve sint cum illis, quinam praeter uniuscuiusque molem corporibus locum fingere oportebit? Quarta, quia cur ponere oportet quod nusquam apparet? Ita neque qui intra mundum est aër aliquid non esse videtur, sicut et piscibus, si essent ferrei, aqua nihil esse videretur.

ART. IV.

Vacuum non esse corporibus inditum.

Ubi, inquit, raritatem densitatemque corporum vident, has per intrinsecum vacuum fieri putant, ne corpora coëant 32r seve premant; unde tum ex parte motus localis, tum ex parte alterationis inconveniens sequeretur; uno enim moto

5 moveretur. ut patet *etc. Sembra voglia dire che dell'assurdo si accorgerebbe chi volesse assottigliare il pieno fino ad identificarlo col vuoto; del resto cf. Aristot. p. 216a 4-11* 11 *e* 12 caedat 12 *leggi* Secunda 19 *manca l'interrogativo*

totum universum oporteret, ut dixit Xuthus, commoveri, aut semper aequalem fieri ex aqua in aërem commutationem. Atqui sive in quolibet corpore multa vacua separata ab aliis pleni particulis intelligant, sive nusquam sit vacuum ab aliis partibus separatum, utrinque errant per id quod diximus est manifestum, ubi patet vacuum extra corpora separatum non esse, et per id quod si secundo modo putent, primo non habebunt vacuum omnis localis motus causam, sed eius qui sursum, cum iuxta eorum sensum sit causa raritatis; secundo vacui, quod est utrium quae sursum feruntur, oportebit esse vacuum in quod feratur; tertio causam qua quippiam deorsum feratur non habebunt. Qui ergo opus est vacuo quod nec feratur ipsum, et in quo neque aliud feratur?

ART. V.

Rationes quaedam proxime praepositae solvuntur.

Ubi aiunt remoto sublatoque vacuo densitatem raritatemque non esse, aut nihil moveri, aut | turbari caelum, 32v aut semper ex aequali aëre aquam fieri, aut corpus inquam ultimum per inferiorum corporum depelli exuberantiam, et ad aequalitatem servandam circularem fieri transmutationem; eandem inquit magni parvique esse materiam, quae illud actu recipit quod potentia prius habebat, unde non per partium extractionem, sed per de potentia in actum reductionem maiores recipit materia dimensiones, ubi aqua vertitur in aërem et grave in leve. Patet ergo nullo pacto vacuum esse necessarium, praeterquam si cui lubeat materiam, quae gravis levisque fundamentum est, vacuum

---

1 Xutus 5 errant] *avrà avuto in mente* errare eos? 14 *f.* quod

appellare. **Sed rarum** et densum, molle et durum potius facilis difficilisque passionis **quam lationis causa** dicenda sunt.

CAPVT III.

De tempore, quod est quartum motus considerationem consequens.

ARTICVLVS I.

Rationes quibus tempus esse non videtur.

Quoniam (inquit Aristoteles) et omnis motus est in tempore, de ipso quoque consequenter est considerandum. Primum quidem a rationi|bus quibus esse vel non esse vi- **33r**
detur exordientes, invenimus quosdam qui aut omnino negant tempus, aut ipsum aliquid esse dicunt quod vix et obscurius percipi queat. Primo enim inquiunt impossibile esse vel haberi compositum ex non entibus, de duobus autem, quae infinitum perpetuumque componunt, praeteritum est factum, futurum nondum est. Secundo de hoc nihil praeter nunc extare videmus, quod quidem non est ulla temporis pars, utpote quod neque componere nec mensurare possit. Tertio nihil esse debet tempus, de quo non contingit accipere praeter nunc, quod certe nihil est, cum in tempore non sit accipere aliud et aliud neque unum idemque nunc.

ARTIC. II.

Quid non sit tempus et quid sit.

Antiquorum quidam volebant tempus esse motum caeli, alii circulationem, alii sphaeram ultimam. Atqui 1. non

---

13 quacat

esse circulationem patet, tum primo quia nulla pars circulationis est circulatio, temporis autem pars quaelibet est tempus; tum secundo quia ut plures sunt circulationes, plures itidem essent tempora. Quod secundo non sit sphaera caelestis inde patet, quod illius partes omnes sunt permanentes, huius autem non; in illo sunt omnia ut continente, in hoc autem | ut mensurante motum. Quod tertio **33v**
non sit motus patet, 1. quia motus non est ubique uti tempus, sed tantum in mobili, 2. quia omnis motus velox est vel tardus, tempus vero est quod velox definit atque tardum. Quod quarto sit cum motu patet, quia nihil est sine eo quo percepto percipitur et non percepto latet. Concluditur ergo primo tempus esse aliquid motus, quoniam motus sine tempore non percipitur, ut patet per id quod ferunt de dormientibus in Sardo apud heroas; secundo, quod tempus sine motu nec est neque cognoscitur; tertio, quod sicut quid continuum est magnitudo, ita et motus, ut sicut continuum quid est motus, ita et tempus; quarto quantitatem magnitudinis eam quae motus, hancque ipsam consequi quae temporis est (ut enim in magnitudine primum et postremum, ita prius posteriusque est in motu atque tempore); quinto, quod si anima duo nunc quorum alterum est prius alterum vero posterius percipiat, medio inter illa non percepto, neque tempus percipiet neque duo nunc, sed unum; sexto temporis infertur definitio, ut sit videlicet numerus motus atque quietis secundum prius et posterius. Numerum autem esse oportet non quidem numeratum, sed quo numeramus, cum per tempus iudicemus
mo|tum maiorem esse vel minorem. **34r**

---

4 *leggi* plura 6 illo] *leggi* illa 14 pater 15 in Sardo (ἐν Σαρδοῖ *Arist. p. 218b 24). Così hanno anche antiche traduzioni della Fisica; le più recenti, come una del 1558, hanno invece* in Sardis

ART. III.

De nunc.

Quattuor proposita adducit de ipso nunc ad maiorem naturae temporis manifestationem. Quorum primum est, quod nunc quodammodo idem et quodammodo aliud atque aliud in toto tempore; ita enim huius sicut et motus semper alias aliasque contingit accipere partes. Porro idem est nunc quod in toto tempore existit, idem inquam subiecto, sed ratione alterum et alterum, prius et posterius. Ut enim secundum geometras punctus motus lineam facit, et secundum sophistas Coriscus alter est in foro alter in theatro, quia aliud est esse hîc aliud ibi; ita et instans quantumlibet unum subiecto, ratione, quatenus moveri imaginatur, alterum est praeteritum quam futurum. Ita quippe nunc sequitur punctum quod fertur, sicut et tempus motum. Et sicut motus per id quod movetur cognoscitur, ita et per nunc, quod est in tempore maxime notum, tempus percipitur. Secundum, quod simul sint tempus atque nunc, adeo ut unum sine alio esse non possit; nunc etenim atque tempus ut mo|tus atque mobile sese habent, et sicut tempus **34v**
est numerus motus, ita et nunc est ut quod fertur, ut unitas est numeri. Tertium, quod tempus est continuum secundum ipsum nunc, et secundum ipsum dividitur; ita enim nunc ad tempus, sicut punctus ad lineam sese habet. Quarto, quod nunc non est tempus, sed tempori ut terminus terminato accidit. Eo autem modo terminus est, ut idem diversorum esse possit, sicut idem numerus decem hominum est et decem equorum.

---

10 linaeam 11 threatro 24 *l.* Quartum

ART. IV.

De temporis quibusdam proprietatibus.

Ad temporis vero respiciens proprietates, primo dicit ipsum continuum quiddam, utpote quod motum (qui est etiam continuus) mensurat; quatenus vero discrete mensurat, est discretum. Secundo quod sicut in continuo non contingit minimum assignare, ita nec in tempore. Tertio quod, quatenus continuum, longum aut brĕve dicitur, velox atque tardum; multum vero atque paucum, quatenus numerus. Quarto quod ita est unum omnium tempus, sicut et primus motus unus est. Quinto quod sicut unum eumdemque specie motum, ita unum idemque specie tempus | ite- **35r**
rari contingat. Sexto quod ita tempus motu, sicut et motum tempore mensuramus; quemadmodum et numeratorum ad numeri et numerûm ad numerata conducit cognitio, et veluti motu magnitudinem magnitudineque motum mensuramus, ubi mutuo se commonstrant multum iter processusque multus itineris.

ART. V.

De iis quae in tempore sunt et circa tempus tredecim propositiones.

Tempus, inquit, motus est mensura; sicut enim per unam magnitudinis mensuratae partem totam mensuramus magnitudinem, ita et per unam motus partem tempore mensuratorum motum mensuramus. 2. Nihil aliud est esse in tempore praeterquam tempore mensurari; aut enim ideo quid dicitur esse in tempore, quia tunc est quando est et

---

15 numerûm] numerum. *Propriamente si aspetterebbe* numeri, *e quindi* numeratorum *in luogo di* numerata

tempus, aut ut quaedam dicimus esse in numero. Atqui non est in tempore esse quando tempus est, sicut neque in motu et loco quando motus est atque locus, ne forte hoc pacto et caelum in milio esse dicamus, quia tunc est quando milium, similiter et quodlibet existat in quolibet. 3. Quoniam in tempore esse est sicut in numero esse, semper tempus maius eo quod est acceptum erit accipere; ideoque ita quae sunt in | tempore a tempore continentur, sicut quae sunt 35v
in loco a loco. 4. Ab hac temporis comprehensione fit ut quaedam ab eo patiantur, quatenus tempore tabefieri et senescere dicuntur et obliterari, non autem innovari et pulchrefieri, utpote quod causa magis videtur esse corruptionis. 5. Hinc fit ut ea quae semper sunt, quatenus semper sunt, in tempore non esse dicantur, quandoquidem a tempore quicquam non patiantur. 6. Quoniam motus mensuram tempus dicimus, nihil propterea minus quietis affirmabimus esse mensuram, licet secundum accidens; omnis etenim quies est in tempore; praeter enim illud quod aptum est moveri, nihil quiescere dicitur. 7. Quod movetur non ut quantum quoddam est intelligitur esse tempore mensurabile, sed ut motus ipsius quantus est; unde non in tempore sunt (neque etenim tempore mensurantur) illa quae non moventur neque quiescunt. 8. Quod est falsum (quemadmodum diametrum esse costae commensurabile) non est in tempore; qualis enim mensura erit? 9. Generabilia igitur et corruptibilia (quibus tempus maius est, et quorum esse excedit) proprie in tempore esse dicantur. 10. Ipsum nunc temporis continuatio est, utpote praeteriti finis futurique principium; hoc etiam | quatenus copulat, semper idem 36r
est, quatenus vero dividit, semper alterum est atque alte-

---

4 *sq.* millio *e* millium 27 excaedit

rum. 11. Nunc, iam, olim, quondam, nuper, mox et aliae id genus temporis partes vel diversae ipsius nunc rationes, quid nomine indicent pro idiomatum diversitate forte dictionariorum est declarare. 12. Omnis mutatio est in tempore; sic enim velocius et tardius in omni mutatione dicatur. 13. Prius posteriusque in tempore secundum eam quae ad ipsum nunc est distantiam accipitur; in praeterito enim prius dicitur quod magis ab ipso nunc distat, posterius autem quod est propius, in futuro autem e contra.

ART. VI.

Quare, quomodo, qualiter et cuius tempus sit numerus.

Inde (inquit primo) tempus est quia numerus est, ideo numerus est quia et quod numerat, id autem est anima; unde si anima non esset, non videtur esse posse tempus. Porro tempus non solum dicimus numerum, sed et alicuius numerum; ipsius vero motus | est in quo prius est atque 36v
posterius. Ita (inquit secundo) uniuscuiusque motus numerus quidam est tempus, ut ad motuum mobiliumque multiplicationem tempora propterea non multiplicentur, sicut neque per denarii subiecta, homines, boves, equos, numerus denarius non multiplicatur. Primi motus (inquit tertio) tempus numerum esse intelligimus; primum quippe in unoquoque genere aliorum generis eiusdem debet esse mensura, quod item mensurat non solum cognatum, sed et regularius esse debet; ex omnibus autem motus speciebus latio regularior est, et ex lationibus circulatio regulatissima (unde tempus circulus quidam esse videtur), ex circulationibus autem prima omnium regulatior (utpote quae diurni motus est) esse videtur.

---

1 alia   25 e 26 *forse* regulatius e regulatior

IORDANI BRVNI NOLANI 37r

DE PHYSICO AVDITV ARIST.

LIBER QVINTVS

RESPONDENS QVINTO ET SEXTO ARISTOTELIS.

DE CAETERIS QVAE CIRCA MOTVM SVNT.

ARTICVLVS I.

Distinctio transmutationis primo. De qua transmutatione sit consideratio 2. Quae reperiantur in transmutatione 3. Quotque modis fiat 4.

Quod transmutatur, inquit primo, et quod transmutat, aut secundum accidens aut secundum partem aut secundum totum transmutatur atque transmutat. Secundo ait transmutationem per se, | non autem eam quae sub certa 37v
comprehenditur scientia, considerari. Tertio sex in omni transmutatione repperiri, movens, mobile, tempus, terminum a quo, terminum ad quem, et dispositionem secundum quam est motus a qua motus ipse denominatur. Quarto, cum transmutatio sit a quodam in quoddam, aut esse inquit a subiecto in subiectum, aut de non subiecto in subiectum, aut de subiecto in non subiectum; quarum quidem illa quae in subiectum est de non subiecto, quaeque in non subiectum de subiecto, minime motus esse dicuntur; subiectum quippe motus esse non potest quod in tota non manet permutatione, et in quo mobile ut in loco non inspicitur.

ART. II.

In quibus praedicamentis est motus, quotque modis unus dicatur esse.

Primo igitur, inquit, cum omnis motus de contrario vel medio sit in contrarium, in substantia motus non erit. Secundo, cum in iis quae ad aliquid altero mutationem subeunte contingat alterum non mutari, in ipsis non nisi per accidens erit motus. Tertio in actionis passionisque genere non est motus, siquidem non est generationis generatio nec mutationis mutatio. | In qualitate igitur alteratio, in 38r
quantitate augmentum et diminutio, in ubi vero latio motus erunt, et secundum ipsa genera motus nominabitur. II. Tripliciter autem motus unus dicitur, 1 genere, 2 specie, 3 numero. Quorum motus numero unus propterea dicitur, quia 1 mobile unum, quia 2 terminus in quem unus, quia 3 tempus unum, quia 4 dispositio una. III. Motuum vero qui unus numero sunt ii maxime dicuntur, qui completum perfectumque terminum attigere, quique ita regulares existunt, ut temporis partibus aequalibus spacii portiones percurrerint aequales.

ART. II.

De contrarietate motus.

Quod ad motus atque quietis contrarietatem attinet, primo inquit motum qui est de uno contrario motui qui est ad aliud contrarium non adversari, 2 nec motus ex terminis contrariis ad unum idemque contrarium vel medium, 3. contrarietatem terminorum in quos ad mo-

---

1 e 20 ART. II] *sic*

tus contrarietatem non sufficere, 4. non solum motus, sed etiam quietes motibus contrariari, licet hinc privativam, inde simpliciter oppositionem inspicias, cum ipsi quod est deorsum moveri et sursum quiescere et sursum moveri contrariantur, | 5. motus naturalis atque violentus, quantumvis 38v
ad eundem contendant terminum, nihilominus tamen contrariari, sicut et violentae quieti naturalis, 6. contrariatur quieti violentae in termino a quo quies in termino in quem naturalis, 7. motus naturalis unius ad unum terminum oppositum, et motus naturalis alterius ad alterum terminum oppositum, contrarii sunt penes terminos et e quibus et in quos.

ART. III.

De divisione motus in partes.

(Hic principium sexti Physicorum Aristotelis.)

Ad determinandum de divisione motus in partes supponit primum nullum continuum ex indivisibilibus componi, primo quia indivisibile cum indivisibili non facit dimensionem, secundo inter duo puncta numquam linea non intermediat, tertio quia pariter oporteret ex indivisibilibus esse motum atque tempus (quod inconveniens eousque Zenonem adduxit, ut nullam magnitudinem pertransiri posse diceret), quarto | quia sequeretur indivisibile divisum 39r
illi, ut patet cum et velox et duplo velocius ad quinque puncta obeunda movebuntur. Secundo in omni tempore esse nunc; id enim terminat praeteritum ut ipsius post ipsum nil accipiatur, et futurum ut nihil sit ipsius ante ipsum desumere. Tertio ipsum nunc esse indivisibile, tum 1. quia si in eo praeterita detur pars atque futura, aliorum numquam ipsius praeteriti atque futuri terminus esset, tum 2. quia uno nunc praeteriti posito atque futuri, in futuro quid praeteritum esset et in praeterito quid futurum, 3. non esset per se terminus, sed per partem, 4. in eo esset prius et posterius, et consequenter esset ipsum tempus, et unum idemque nunc non esset finis praeteriti et initium futuri. Quarto, cum omnis motus velox sit aut tardus, secundum quem quippiam velocius contingat vel tardius moveri, in ipso nunc nihil movebitur. Quinto, cum nihil in ipso nunc moveatur, et nihil unum et idem simul mo-

11. 12 divisum illi ut] *sic*

veatur atque quiescat, et illud quiescere dicatur quod si-
militer se habet posterius atque prius, in ipso nunc nihil
quiescet. Sexto, cum omne quod mutatur partim sit in
termino a quo et partim in termino ad quem, divisibile
nimirum esse oportet. Septimo motum dividi secundum di-
vi|sionem mobilis atque temporis; totus enim motus est to- **39v**
tius mobilis, pars motus partis mobilis, item totus motus
in aliquo tempore toto, et pars motus in eiusdem temporis
parte consideratur. Similiter igitur tempus, mobile, mo-
tus, moveri, spacium et dispositio, secundum quam est
motus, dividuntur. Octavo, quemadmodum (inquit) mutari
est deficere et separari, ita mutatum esse est defecisse et
separatum esse a termino a quo. Nono mutatum esse non
est in termino a quo, alioquin idem mutatum esset et non
mutatum. Decimo illud in quo aliquid primo mutatum est
esse oportet indivisibile, ne semper recurramus ad primum
primi. Undecimo est accipere aliquid temporis in quo primo
mutatum est; mutationis enim aliquam partem, quam alia
pars non praecedat, haud est adsumere, si in accipiendis
continui partibus non est terminus. Hinc et in eo quod
mutatur non est accipere aliquid quod primo mutetur;
sicut enim non est accipere primam mobilis partem et ante-
quam non sit minor, ita nec partem mobilis quae primo
moveatur, neque partem temporis in qua primo moveatur.
In motu vero alterationis non ita; tempus enim et mobile
sunt semper divisibilia, album vero et similia non per se,
sed per accidens | dividuntur. Quatenus igitur per accidens **40r**
dividuntur, puta secundum magnitudinis divisionem, non
est accipere primum in ipsis; ut vero secundum se actu se-
paratae existunt considerantur, in eorum mutatione nil im-

---

29. 30 *forse* separata existunt ⟨et⟩ considerantur?

pedit quominus primum accipiatur. Duodecimo ante omne mutari est mutatum esse, et ante omne mutatum esse est mutari. Omne enim mutari est divisibile, et sicut punctus nominat terminum lineae, ita mutatum esse terminum motus, et ante quemlibet motum et quamcumque motus partem est aliquid mutatum esse accipere, et nullum est mutatum esse quod non antecesserit mutari.

ART. IV.

De finitate et infinitate motus in ordine ad magnitudinem et tempus.

Impossibile est, inquit, aliquid moveri tempore infinito per spacium finitum minime iteratum (dum enim mobile in qualibet temporis parte movebitur, pars spacii multoties accepta totum in fine reddet spacium), 2. aliquid tempore finito, sive regulariter sive irregulariter, sive versus alteram sive versus utramque partem, per spacium infinitum moveri (pars enim temporis et pars | magnitudinis multoties sumptae 40v
reddent totam magnitudinem et tempus finitum, non autem infinitum), 3. mobile infinitum pertransire spacium infinitum tempore finito, ut ex aliis est manifestum, 4. mobile infinitum transire spacium finitum tempore infinito, ut viceversa patet; ubi enim iuxta alteram magnitudinem altera movebitur, eas se mutuo pertransire necessum est.

ART. V.

De sistere et de quiescere.

Sistere est ad quietem tendere, et id est esse in motu, et quod sistit in tempore sistit, sicut quod movetur in tem-

---

13 in fine] *l.* infinitum   17. 18 autem infinitum] autem ifin.

pore movetur; et manifesta sunt quae similia sunt in motu atque sistere. Quiescere vero est cessare a motu, et hoc est in tempore similiter se habere nunc atque prius. In eo non est dare in quo primo quievit, et reliqua sicut et in moveri consideranda.

ART. VI.

De quibusdam erratis circa quiescere et moveri.

Tres tandem, licet nil faciant ad dicta, obiter errores eliminare contendit. Quorum | primus est Zenonis nullum **41r**
spacium transiri posse existimantis, primo quia mobile semper est in loco aequali sibi; secundo quia oportet venire in medium et medii medium, antequam ad extremum; tertio quia tardum quantumcunque velocissimus non attinget, quia quo ille attigit, semper alter citius transivit; quarto quia idem sibi fiet duplum, ut patet in duobus aeque velocibus, quorum alterum deferatur super spacium quiescens, alterum vero super contra se motum spacium; quinto quia erit medium inter contradictoria, si erit motus inter album et non album; sexto quia idem movebitur et quiescet, cum circumferatur et non ascendat neque descendat, ne prorsus desituatur. Ad quae argumenta respondet primo negans tempus ex nunc componi, secundo ait non pertransiri spacium secundum eiusdem proportionis partes, tertio tempus caeteris paribus non esse sibi duplum, quarto negat impartibile moveri (unde cum album sit partibile, non erit totum in extremorum neutro), quinto circulariter motum secundum partes mutare locum asserit.

---

12. 13 extraemum, 26 extraemorum *e similmente altrove* 21 desituatur] *sic* 21. 22 argumentae 26 sit partibile non

ART. VII.

Oppugnat Democritum de motu indivisibilium.

Secundus fertur Democriti indivisibilia per se moveri 41v affirmantis. Contra cuius sensum indivisibilia inquit non nisi per accidens moveri, puta ad motum totius, non ut quaedam pars, sed ut sedens in navi. Totum enim indivisibile, cum movetur, non potest esse in A a quo movetur, nec in B ad quod movetur, nec partim in A partim in B. Item indivisibile prius locum sibi aequalem et minorem transeat oportet, quam maiorem; atqui non est indivisibile indivisibili proximum, nec componitur ex ipsis magnitudo quae aliquando numerasse valeat. Item indivisibili loco minorem non licet accipere, et omnis motus est in tempore, et quocumque tempore semper est accipere minus.

ART. VIII.

Arguit Heraclitum de aeterno omnium motu.

Tertius Heracliti affirmantis omnia semper moveri, cuius sententiam ideo absurdum existimat, quia omne movetur per terminos finitos et oppositos: motus omnis e quodam est in quoddam. Eadem per ea quae octavo libro Physicae au|scultationis habentur hic infirmata censeantur, 42r ubi dixit primo non omnia semper quiescere, quia est contra sensum (neque enim sine linguae motu negari valet motus) et rationem, non solum particularem sed et universalem, non solum unius scientiae quae habet ut principium motum esse, sed et omnium; secundo non omnia semper moveri (sic enim natura principium est quietis ut et motus;

---

7 potest] post   18 *l.* absurdam   19 *forse* motus ⟨enim⟩ omnis?
20 quoddam] quodam   22 ubi dixit *etc.*] *cf. più giù p. 209, 18 sqq.*

neque etenim quaedam ita moventur ut motus non percipiatur, neque una dispositio ad aliam dispositionem potius quam ad oppositum esse moveri dicenda est, et ipsa docet experientia grave quousque tandem quiescat sursum vel deorsum agitari); tertio non quaedam semper moveri et alia ab eis semper quiescere (remanet enim perfecte auctum, nec amplius generatur quod est genitum); quarto non omnia aliquando moveri et aliquando quiescere; sunt enim quae numquam cessant moveri, et quae numquam movebuntur.

ART. IX.

Corollarium de distinctione eorum quae moventur atque quiescunt.

Reliquum est igitur ut quaedam semper quiescant, **42v** quaedam semper moveantur, quaedam aliquando quiescant, aliquando moveantur. Et eorum quae moventur, alia per se alia per accidens, alia a se ipsis alia ab alio, alia naturaliter alia violenter. In iis vero haec quae violenter agitantur, moventem a se motis distinctum agnoscunt. Haec etiam quae a se ipsis moventur, non secundum idem moventur atque movent. Gravia quoque atque levia constat a se ipsis minime moveri; id enim animatorum est proprium et eorum quae per sese quiescere etiam possunt et ad plures positionum differentias moveri. Ipsa sunt quae in per se motam atque per se moventem partem dividuntur. Gravia igitur atque levia, sive in potentia propinqua sive in potentia remota considerentur, numquam sese moventia intelligenda sunt; tamquam enim in potentia remota a generante, tamquam in potentia propinqua a tollente prohibentia et obstacula dimovente aguntur.

---

12 Reliqum

IORDANI BRVNI NOLANI (1r)

DE PHYSICO AVDITV ARISTOTELIS

LIBER QVINTVS AD SEPTIMVM ET OCTAVVM ILLIVS.

CAP. I.

De comparatione motuum ad motus, motores et mobilia.

—

ART. I.

Esse primum motum et primum motorem.

Omne, inquit, quod movetur ab aliquo movetur, quod quidem in iis quae ab extrinseco moventur est manifestum, latet autem in ipsis principium motus intrinsecum habentibus. Atqui omne quod se ipsum movere videtur, si vere se ipsum moveat, in partem moventem atque motam dividatur oportet. Supponimus autem nihil indivisibile moveri; si enim quod ad alicuius quietem quiescit ab alio movetur, illud etiam | quod movetur ab alio movetur. Quod si in (1v) moventibus atque motis inconveniens est abire in infinitum, erit certe aliquem primum motorem primumque motum invenire.

---

1 *nella edizione originale ricomincia una nuova numerazione di pagine, che abbiamo indicata chiudendola in parentesi*

ART. II.

Omne movens simul esse cum moto.

Quia, inquit, omnis motus vel est latio vel alteratio vel augmentum vel diminutio, et latio vel sit a principio intrinseco quod est exagitante, vel a principio extrinseco quod est vel pellens vel trahens vel vehens vel vertens, congregans vel disgregans, spathesi vel tortesi, vel emittens vel immittens, vel attrahens vel expellens, in quibus semper movens et motum mediate applicantur vel inmediate, item alteratio omnis sit secundum qualitates sensibiles, quibus quidem movens non prius remotum corpus movet quam propinquum, appositio etiam atque subtractio omnis sit vel in moto vel a moto; consequens est ut omne movens sit simul cum moto.

At quod diximus, alterationem esse secundum sensibiles qualitates, inde est manifestum, quia secundum qualitates de quarta specie quae ad | alterius acquisitionem ac- (2r) quiruntur, et secundum quas substantiae non recipiunt praedicationes, et quippiam perfici dicitur atque compleri, non est alteratio. Neque alteratio est secundum qualitates de prima specie, ut patet tum in habitibus corporeis qui sunt ad aliquid, tum etiam in moralibus habitibus qui perficiunt subiectum et ex quibus secundum delectationem atque tristitiam consequuntur actiones atque passiones, tum tandem in intellectualibus habitibus qui et ad aliquid dicuntur et magis per quietem ab aliis motibus et passionibus, quam per alterationem atque motum fieri intelliguntur.

---

5 *forse* exagitans 7 tortesi] *dovrebbe corrispondere alla* κέρκισις *di Aristotele* (*p.* 243b 10)

ART. III.

De motus comparatione ad alios motus.

Videtur, inquit, omnis motus omni motui minime comparabilis; haud enim latio recta circulari comparatur, nec latio cum alteratione commensurabilis est; e contra vero, quia tam motus circularis quam rectus velox dicitur atque tardus. At vero motus, qui penes eiusdem speciei spacia non fiunt, non sunt ad invicem comparabiles; ea quippe quae ad in|vicem comparanda sunt, tres sibi conditiones (2v) adsciscunt: prima ne aequivocum sit in quo comparatio est fienda, secunda ut in aliquo primo susceptivo conveniant, tertia ne secundum genus, sed secundum infimam speciem comparentur. Ad hoc igitur, ut aliqui motus sint secundum aequalem velocitatem comparabiles, non sufficit eos aequali tempore fieri; alter enim penes qualitatem, penes quantitatem alter esse potest. Nec quod duo locales aequali tempore aequalique spacio compleantur; alter enim in circulum esse potest, alter in rectum. Nec quod duo locales eadem lationis specie per idem medium; obstat enim si per diversa fiant instrumenta, ut in volatione et ambulatione patet.

Comparatur alterationi alteratio eiusdem speciei, cum aeque veloces esse possint, non obstante quod secundum eas aequale et inaequale non dicatur; habent enim ipsum ex parte temporis. Comparatur etiam generationi generatio secundum eiusdem speciei formas. Inde si numerus sit substantia rerum, secundum quantitatem maior dicetur atque minor, secundum speciem vero similis. Sed diversitas, quae accidit in maioritate et minoritate numeri substantiae, non habet impositum nomen, | sicut ea quae in (3r)

passionibus est consistens; dicitur enim magis et minus album, maius minusque caput, sed excellentioris substantiae non est nomen.

ART. IV.

De motuum comparatione ad moventes.

Praemittens quod omne movens secundum locum movet aliquod mobile in aliquo tempore per aliquod spacium, septem canones adducit. Primus quod movens aliquod mobile per aliquod spacium movebit illius mobilis medietatem per duplex spacium in tempore aequali. Secundus quod movens mobile in aliquo tempore in subduplo tempore per idem spacium illius mobilis movebit medietatem. Tertius, si virtus movet aliquod mobile per aliquod spacium in aliquo tempore, eadem virtus movebit idem mobile per medietatem eiusdem spacii in illius temporis medietate. Quartus quod medietas virtutis mobilis medietatem per idem spacium aequali tempore movebit. Quintus quod non necesse est eamdem virtutem movere duplum mobile per idem spacium in duplo tempore, vel in aequali tempore spacii | medieta- (3v)
tem. Sextus quod neque necesse est virtutis medietatem movere idem mobile in duplo tempore per aequale spacium, ut si novem in aliquo tempore navim trahant, quinque per idem spacium in duplo tempore trahere valeant. Hinc Zenonis error est manifestus, qui ideo minimam milii partem cadentem sonum facere existimavit, quia granum facit sonum et medietas minorem, et ita deinceps per medietatum medietates ad partem minimam; ideo quippe ratio non valere perspicitur, quia non quaelibet milii pars aërem dividere valet. Septimus quod si duae virtutes moventes

agunt duo mobilia seorsum in certo tempore per certa spacia, eaedem virtutes copulatae copulata mobilia movere per idem spacium aequali tempore valebunt. Quae canonum ratio non ad ea quae secundum locum moventur modo spectat, sed et ad alterantia atque augmentantia secundum propriam refertur rationem.

(Hinc respondet octavo Physicorum.) (4r)

CAP. II.

De aeternitate motus.

ART. I.

Quod motus non incepit esse nec esse desinet.

Dubium, inquit, an motus ita aliquando coeperit ut prius non fuerit, aut ita quandoque corrumpetur ut non futurum sit posterius. Naturalium enim ii quidem motum semper fuisse, et infinitos motus atque mundos sibi sine interruptione successisse, quorum generationes atque corruptiones sine motu fieri nequeunt. Anaxagoras vero eorum est, qui mundum quandoque coepisse asserunt. Empedocles vices dat motui per litem et quieti per amicitiam. Nos autem non incepisse dicimus, cum quilibet motus mobile et quodlibet mobile motum supponat. Et motor non est antequam sit mobile, et mobile non est antequam sit motus. Et motor nihilo impediente et nulla dispositione deficiente a di|gnissimo motu minime debet abstinere. (4v) Et ipse sine mutatione in ipso prius facta minime ad novum poterit motum promoveri, ex hoc quod non movebat antea; semper enim ad novum effectum producendum aliqua dispositio prius removenda censetur. Nec obstat ipsum esse motorem voluntarie agentem et nulla prorsus actum necessitate; semper enim moventem ad id quod non

---

1 phisicorum *il numero della pagina è 6, invece di 4, nell' ediz. orig.* 5 incaepit 12 caepisse 14 incaepisse

movebatur et postea movetur, utpote duobus subiectum contradictoriis, aliter se habere oportet atque aliter. Ad haec tempus pariter atque nunc (quod principium sequentis et praecedentis est finis) semper fuit, at ipsum sine motu et motum sine mobili non possumus imaginari. Item et nunquam defuturum probamus motum. Si quippe motus cesset, vel id fiet motore atque mobili permanentibus, vel altero, vel neutro. Si quidem maneant, cur non et modo, sicut antea, movebit? Si vero non maneant, erit adnihilatio vel alterius vel utriusque.

ART. II. (5r)

Ad Anaxagorae et Empedoclis opiniones.

Contra naturam, inquit, quae ordinem in rebus exigit, est Anaxagorica sententia, quae ideo omnem ordinem destruere videtur, quia infiniti temporis praecedentis motus non est ad finitum tempus proportio in quo motus est consequutus, nec habet rationem cur intellectus nunc potius quam prius segregari coeperit. Irrationabile quoque est quod dicit Empedocles; non enim sequitur litem et amicitiam sibi invicem succedere, ex hoc quod illa congreget, ista segreget. Et ideo suum debebat manifestare principium; licet enim in perpetuis non sit quaerenda causa demonstrationum principiis, perpetuarum tamen demonstrabilium conclusionum rationem atque causam adsignare non iniuria cogimur.

---

18 caeperit

ART. III. (5v)

Ad rationes negantium motus perpetuitatem.

Negant, inquit, nonnulli perpetuitatem motus, primo quia finitam inter contraria distantiam contemplamur, secundo quia quaedam quae prius non movebantur motum adoriri perspicimus, tertio quia similiter megacosmon incipere motum post quietem possumus intelligere, sicut microcosmon postquam quieverat moveri apparet. Sed ad hoc dicendum, primo non motum de contrario in contrarium, sed motum de eodem in idem esse perpetuum, secundo item nihil nisi propter motum praecedentem aliquando moveri coepisse, tertio nec homo absque praevia sui motus causa postquam quierat movetur.

ART. IV.

Quomodo entia ad motum et quietem sese habeant.

Quo vero pacto per mobile atque quiescibile distribuantur entia insinuaturus, dicit primo errare qui motum tollunt et | omnia perpetuo quiescere dicunt, tum primo (6r) quia sensu contrarium concipimus et quaerere rationem dimittendo sensum est debilitas intellectus, tum secundo quia ita dicere non solum in uno particulari sed et in toto ente dubium facit, non contra unam scientiam modo sed et contra omnes, tum tertio quia sine motu linguae motum negare nequimus, tum quarto motum esse est unum de principiis naturalibus. Secundo decipi qui putant perpetuo moveri; nam primo isti, sicut et alii proxime dicti, princi-

2 rariones 12 caepisso 19 querere

pium naturale negant, secundo omnis motus est ad aliquam dispositionem qua habita mobile moveri cessabit, tertio quia lapis, quem durescere vel mollescere per longa tempora dixerunt, in fine non apparebit durior neque mollior quam in principio, quarto quia lapis non semper e loco proprio movebitur. Tertio non semper quaedam moveri et alia ab iis semper quiescere, primo quia sensu perspicuum est quaedam nunc moveri nunc eadem quiescere, secundo quia, cum perfectam attigerit quantitatem, remanet quod augetur, tertio quia non est perpetuus motus violentus, quarto quia non accidit haec semper generari, illa semper corrumpi, sed quod generatur ali|quando est genitum. (6v) Quarto non omnia interdum moveri, interdum vero quiescere, pro quo refert se ad rationes tritas de sempiternitate motus et ad rationes adversus Empedoclem amicitia quietem liteque motum constituentem. Quinto reliquum esse inquit considerare moventium alia moveri atque movere per se, alia per accidens, quorum quae moventur secundum accidens sunt in iis quae moventur secundum se, eorum vero quae secundum se moventur, quaedam a se ipsis moventur ut animata, quaedam vero ab alio ut quae principium intrinsecum motus activum non admittunt. In iis item quae movent vel moventur, quaedam naturaliter, quaedam vero violenter; et eorum quae naturaliter, quaedam ab anima ut quae quocunque ad votum, quaedam vero a naturali proprietate ut ignis sursum.

ART. IV.

Conclusiones ex dictis inferuntur.

Ex iis infertur primo quod quae violenter moventur moventem a se ipsis distinctum | agnoscere, secundo quod (7r)

quae a se ipsis moventur motorem mobileque distinctum continere, tertio quod gravia atque levia non moventur a se ipsis, idque pluribus inquit manifestum esse rationibus; primo quia illud est animatis proprium, secundo quia talia possunt etiam a se ipsis stare, tertio quia eadem ad plures se conferunt locorum differentias, quarto in partem per se moventem et partem per se motam dividantur oportet. Gravia igitur atque levia non habent principium movendi nec faciendi, sed patiendi; quare non a se, sed ab obstacula dimovente et prohibentia solvente moveri dicenda sunt.

(Respondet parti 8. libri a tex. 54. ad 78.) **(7v)**

CAP. III.

De primo motu.

ART. I.

Motum localem esse primum motum

Quoniam, inquit, in moventibus et motis non est progrediendum in infinitum, consequens est videre de motibus quinam extet primus. Motusne ad substantiam? Ad quantitatem? Ad qualitatem? Ad locum?

Dicimus igitur primum augmentationem, quae conversionem alimenti in substantiam alendi per alterationem praesupponit, non esse primum motum, et longe minus diminutionem, quae augmentationem consequitur; alterationem item, quam praecedit alterans, qui per motum localem antequam alteret debet appropinquari; generationem quoque et corruptionem, de quibus antiquorum sententia est quod | per rarefactionem fiunt atque condensationem, quarum utramque sine latione fieri non est possibile, primos **(8r)** non esse motus. Quid ergo? Motum localem primum motum multiplici ratione credimus: et quia alii non sunt sine ipso, ipse vero sine aliis, et quia secundum substantiam et perfectionem antecedit, et quia antiquior est omnibus, et quia naturaliter in perfectissimis et aeternis, quae sunt corpora caelestia, reperitur ipse aliis circa corruptibilia versantibus, et quia nihil abiicit de substantia eius quod

secundum ipsum movetur, et quia primo se ipsum moventi, quem alii motus non attingunt, inest, et quia praeter motum localem nullus alius unus et idem existens continuus esse potest atque perpetuus; omnis enim mutatio praeter localem, cum inter terminos oppositos habeatur, minime continuari perpetuarive potest; semper enim quodammodo quietem mediam admittere contingit tum generationes et corruptiones, tum et caeterae mutationis species.

ART. II. (8v)

Motum circularem de lationibus esse primum.

Omnis, inquit, alius motus localis vel circularis vel rectus vel mixtus est, quorum rectus cum super spacium finitum compleatur, non potest esse perpetuus, iterum nec mixtus ex recto atque circulari ratione qua non est perpetuus rectus, nisi iterando vel reflectendo prosequatur. Porro motum ante reflexionem et post reflexionem quis dicet unum continuum? Nonne sunt contrarii motus? Nonne secundum contrarias fiunt dispositiones? Nonne mutuo sibi invicem super eadem linea obviando impediunt? Nonne inter motum reflexum et motum illo priorem quies in puncto reflexionis mediat? Nonne si mobile in termino reflexionis moveretur, ita contrariis simul ageretur motibus, ut non maiori ratione ipsum accedere quam ipsum recedere dici possit? Quis item illos motus unum audebit dicere, cum quorum uno quies alteri opposita constat, cum ascensus denominetur motus ante reflexionem, qui vero post illam descensus vero denominetur? Quis item eodem instanti alba- (9r)
tionem terminari dicet et incipere nigrationem?

---

8 *si aspetterebbe* caeteras 24 e 25 cum] eum

ART. III.

Novae rationes quibus motum circularem esse priorem astruit atque perpetuum.

Ponentibus, inquit, motum circularem perpetuum nullum accidit impossibile; motus enim ab eodem in idem circa reflexionem nil impedit ne sit perpetuus, ut e contrario accidit motus super spacium rectum vel semicirculum vel circuli quamcunque portionem. Inter motus item locales simplex prius est composito, unde rectus praecedit mixtum, et perfectior imperfectiore prior; unde motus circularis, qui nec interruptus nec reflexus nec discontinuatus, recto simplicior est atque perfectior. Circularis item, quo ubique principium capere possis atque finem, determinatum principium non sibi statuit neque finem, ut ita semper moveri ut et semper quiescere sphaera intelligatur.
Ideo enim in linea cir|culari non distinguitur principium, (9v)
medium atque finis, quia haec ad centrum pertinent, quod aeque a circumferentia distat, a quo ad circumferentiam et ad quem de circumferentia trahuntur lineae. Ad haec mensura mensurato prior est, et motus secundum circulum reliquos omnes mensurat motus. Proinde regulare irregulari prius est, talis autem est circularis; contra vero rectus, qui si est naturalis, in fine intenditur, si violentus, in fine remittitur. His accedunt authoritates quae lationi primas tribuunt, primo Empedoclis congregatione et segregatione principiantis; secundo Anaxagorae chaos per rerum a rebus abscessum distinguentis; tertio unum ponentium materiale principium quod densitate generet ac

---

2 cricularem 5 *leggi* citra 27 ac] at

raritate, quae a motu partium magis cohaerentium atque minus proficiscitur; quarto Platonis ipsum quod se movet eorum esse principium quae moventur asserentis, et inter haec animam esse numerum se moventem; quinto communiter loquentium, cum nil proprie moveri dicamus, nisi quod delatum mutatque locum.

(Respondet parti 8. libri a tex. 34. ad 54. indeque usque in finem.) (10r)

CAP. III.

De primo motore.

ART. I.

Quod deveniendum sit ad primum movens, quod si moveatur, a se ipso moveatur.

Cum, inquit, dupliciter aliquid movere contingat, vel motum videlicet vel immotum, cumque inter moventia primum magis moveat quam secundum, et secundum tertio, et non convertatur, secundum item sine primo non moveat, sed e converso, in moventibus sane atque motis essentialiter ordinatis non erit processus in infinitum, unde consequatur carere primo, secundo et ultimo, immo etiam motu. Quid ergo? Ad movens primum corporeum, quod ex se moveatur, universa corporalia moventia reducantur oportet.

ART. II. (10v)

Quod non necesse sit omne movens moveri.

At si nullum movens movere posset nisi motum, aut per se moveretur aut per accidens; sed per accidens motum per accidens et movebit, et consequenter non movere continget, quod si ipsum non moveat, nec alii motores movebunt; per se etiam motum si movebitur secundum eamdem speciem cum illa quae movet, calefacienti accidet calefieri,

docenti doceri, si secundum speciem aliam ab illa, erit sane devenire ad movens immotum secundum aliam speciem motus a speciebus motuum aliorum mobilium, et consequenter immobile. Nec est quod fugias dicendo circulationem in motibus; sic enim oportebit ad motum secundum eandem speciem secundum quam movet devenire. Proinde si invenitur motum non movens, cur movens non motum non invenietur? Nonne ubi duo sibi invicem accidunt, si unum ab altero seorsum invenitur, et alterum consequenter | inve- **(11r)** nietur? Tertio iis etiam Anaxagorae sententia adstipulatur, ideo quippe intellectum agentem et moventem ipsumque immixtum asserit, ut optimo iure ipsum imperare faciat. Haud igitur movens quodlibet movebitur.

ART. III.

Primum motorem esse immobilem.

Hic si ab alio moveatur, non erit primus, si a se, erit in eo prius quam sit ipse, cum nihil a se ipso primo moveatur et omne se movens in per se moventem et per se motam partem dividatur, ut tandem necesse sit partem aliquam quae immota moveat primum appellare motorem; neque enim facile est fingere totum quod se moveat per se primo, nec utramque partem se invicem reciproce vicissimque moventes, neque se ipsam moventem quamlibet partem. Et non oportet esse tres vel plures partes, ut ex iis una sit quae moveat et moveatur; illa enim pars si amoveatur, adhuc totum se ipsum movebit.

---

26 *manca la virgola*

ARTIC. IV. (11v)

Quomodo in movente se ipsum pars mota et movens uniuntur.

Moventis autem se ipsum non continuas possibile est intelligere partes; quid enim ita movere potest per continuationem? Erunt igitur contactu unitae partes ipsius. In iis quoque intelligere oportet partem moventem non esse divisibilem, ne in tam parvas contingat devenire partes, ut virtutem non ret[illegible]m quam in toto habebant, unde consequi non p[illegible]lteram medietatem ab una moventis se ipsum m[illegible] at[illegible]overi.

ARTIC. V.

Primum moventem esse incorruptibilem.

Non ideo, inquit, primus movens perpetuus est, quia nec generabilis est nec corruptibilis (neque enim omne huiusmodi perpetuum dicimus), sed quia primus motus, qui sine | motore non esse potest, est perpetuus. Patet ergo (12r) 1. esse aliquid semper immobile, ne incurratur prorsus in infinitum in moventibus, et sit quod uniformiter movendo effective continuare valeat. Patet etiam 2. aliquid esse perpetuo mobile, ut etiam subiective continuitas perpetuitasque generationis consequatur. Patet 3. esse quod interdum moveatur atque quiescat, ut generationum vicissitudo servetur atque corruptionum. Inter haec autem primum movens est quod nec per se neque per accidens movetur unquam, quod semper continuoque movetur est caelum, quod semper quiescit est terra, quae per vices quasdam moventur atque quiescunt animalia sunt et quaedam alia.

---

25 coelum

ARTIC. VI.

Primum moventem esse immobilem.

Rursum immobilem oportet esse motorem primum; si quippe moveretur, ab alio (ut ex praedictis patet) moveretur, et ideo possibile esset dispositionem ipsius variari; ipsum vero, cui aliquid non imponit necessitatem et | cuius **(12v)** dispositio non mutatur, absque sui motatione movere necesse est. Et eiusmodi non aliter atque aliter, sed infatigabilis regulari, continuo sempiternoque motu ciet, cui mobile regulariter, continue sempiterneque consentiat; motus enim immobilitas motoris consequitur immobilitatem, si non cessare vel haesitare potest motus, nisi motore aliter atque aliter se habente.

ARTIC. VII.

Primum moventem esse unum.

Rationabilius, inquit, est finita quam infinita esse moventia. Rationabilius quoque est unum esse quam plura; ipsum enim non minus ipsis ad motus atque generationis omnis perpetuitatem est sufficiens. Motum namque proiectionis ideo non esse continuum et unum dicimus, quia non est ab eodem motore simili ordine ad ipsum mobile se habente; id quod ad propriissime dictam motus requiritur continuitatem. Unitas igitur primi motus, qui perfecte continuus est, motoris exigit continuitatem.

---

12 hesitare

ARTIC. VIII. (13r)

Ut astruat primum moventem esse indivisibilem, tria primo supponenda docet.

Tria ad primi motoris indivisibilitatem concernendam determinasse oportet, primum quod ad motum infinitum potentia requiritur infinita, secundum quod potentia infinita non potest in magnitudine finita reperiri, tertium quod in magnitudine infinita virtus nequit esse finita. Primi ratio est, quia si finita fuerit potentia id quod totum movet infinitum, potentiae medietas medietate temporis movebit infiniti medietatem; quorum quidem nullum possibile est esse infinitum. Secundi ratio est, quia alioqui aequali velocitate virtus finita moveret et infinita. Mobile enim, quod certo tempore finita potentia movet, minori poterit movere tempore potentia infinita. Quae cum non moveat in instanti (hoc enim est impossibile), sed in tempore, nimirum si centuplo maior per infinitum fiat velocitas, eam centuplam potentia finita poterit adaequare; unde | ac- (13v)
cidet quod aequali tempore idem mobile per aequale spacium finita et infinita virtute moveri poterit. Tertii ratio duplex. Prima quia finita virtus in magnitudinis infinitae parte existens esset infinita, quandoquidem infinita virtus velocius quacunque finita movet; ponitur igitur (cum in instanti moveri sit impossibile) quod moveat in centuplo, nimirum finitis vicibus finita virtus multiplicata illam exaequare valebit. Innumeras igitur continget in magnitudine infinita partes accipere, quarum virtus virtuti totius (si finita esset) est aequalis, cum tamen totam non accidat accipere magnitudinem. Quinam igitur fieri potest ut tota

---

1 *il numero della pagina è* 12 *invece di* 13 8 **fuerit, potentia**
27 **(si finita esset est) aequalis**

illius magnitudinis virtus accipi possit? Secunda quia corporis infiniti potentia aequali velocitate cum corporis finiti potentia moveret; si etenim caeteris paribus maius corpus maiori praeditum est virtute, virtus tandem finita ad suppetentiam multiplicata idem mobile aequali tempore atque virtus infinita movebit.

ARTIC. IX. (14r)

Primi motoris infert impartibilitatem.

Impartibilem igitur, inquit, oportet esse motorem, utpote nullam prorsus magnitudinem habentem. Haec enim non potest esse infinita; talem enim impossibilem plurimis commonstravimus argumentis. Neque debet esse finita; si enim per tempus moveat infinitum, infinitae sane debet esse virtutis, quam manifestum est in magnitudine finita locum non habere. Quod si neque finitam habere potest neque infinitam, nullam prorsus habebit magnitudinem.

ARTIC. X.

Primi moventis sedem constituit.

Istum cum vel in peripheria vel in medio intelligere debeamus, convenientius esse videtur ut ipsam inhabitet circumferentiam; ibi namque velocissimus motus maiorem motoris influxum protestatur; ibi ergo propinquior, ibi praesens, ibi primum.

---

10 nulla   16 matudinem   19 periferia

MORDENTIVS ET DE MORDENTII CIRCINO

DIALOGI DVO.

IORDANI BRVNI NOLANI

DIALOGI DVO

DE FABRICII MORDENTIS

SALERNITANI

PROPE DIVINA ADINVENTIONE

AD PERFECTAM COSMIMETRIAE PRAXIM.

PARISIIS,

ex Typographia Petri Cheuillot,

in vico S. Ioannis Lateranensis, sub Rosa rubra.

1586.

IORDANI BRVNI NOLANI a 2r

IN MORDENTIVM ET DE MORDENTII CIRCINO

DIALOGOS.

Ut verum, ita et vulgatum satis est Deum providentem certis quibusdam temporibus Mercurios, quibus mediantibus labori et inopiae mortalium succurrat, e caelo mittere; quemadmodum et natura comparatum est, ut eadem vicissitudinis quodam fluxu propriae foecunditatis manus adaperiens e profundo caecoque materiae sinu in lucem non modo producat universa, sed et perfectissime tandem producat, si quippiam temere non adoritur, si per humani desiderii appulsum illuc diligentiae studiique arcum non intendit, quo nunquam sagittam intorqueat et iaculetur, illo inquam crebris colliniet intentionibus, ubi nun|quam feriat, quo vel casu tandem non attingat, singu- a 2v
larique ictu semel faciat atque perficiat quod innumeris aliis veluti perperam intentarat. Ipsum vel in uno saltem antiquo mensurandi studio licet contemplari, ubi tandem Fabricius Mordens Salernitanus, inventionum mechanicarum parens, non modo huiusce generis artes collapsas in-

---

8 facunditatis 14 collimet

staurat, emortuas revocat, mutilas perficit, sed et quasdam pro impossibilitatis specie nunquam intentatas exsuscitat. Ipsum ita operantem videmus et docentem, ut certe tanto eundem minus artificiose operari atque docere dixerim, quanto et secundum ipsam naturam (quae minime omnium per eiuscemodi artem operatur) magis ad numeros omnes subiectum propriae praxis revocare convincitur; siquidem, quo Deo et naturae similior appareat, actione loquitur, operatione docet, dum eo ipse silendo promovet, quo caeteri universi nunquam ratiocinando potuere; ibi etenim nihil desideratur, ubi problematis definitioni expressum axioma perpetuo ita sit coniunctum, ut et naturae vocibus internis intonare sensibus videatur, nec non illud vere exquisiteque per oculos intrudat, quod caeteri inchoatum ad aures pulsare | consueverunt. Discipulos ergo tam caecos a 3r quam auritos sibi accersant alii, dum iste videntibus quantumcunque surdis plane satisfacit. Ego interea profundi huius acustici silentium rumpam, interloquutorem faciam, et ita graphice docentem quoad fieri potest introducam, ut et technice vidi operantem. Porro ex multis quae habere creditur, in duabus hisce geometriae partibus mihi sese mirabilem patefecit, utpote in quibus adeo praegnans atque foecunda praxis continetur, ut illum mihi forte suadeam (quod citra iniuriam dictum velim) plus quam putare et ipse possit invenisse, quandoquidem ex radicibus istis illi in dies ad novas mirabilesque easque numeris constantes universis iter aperitur aditusque conceditur inventiones.

Ego igitur tum ratione patriae affinitatis, tum pro mutua quae nobiscum intercedit benevolentia, tum maxime pro adinventionis momento, dignitate, maiestate, fortunatum

---

20 technicae 25 quondoquidem 27 concaeditur 29 intercaedit

me existimavi quod virum istum mihi nosse contigit, quodque divinitati artis huius quantumvis in propriis (quibus non minus capi possum) occupato administrasse licuit. At quid de occupationibus aliis commeminisse oportet, quae si philosophicae sunt, et ista ad earum causam | per- a 3v tinere cognoscent, quae ad verae philosophiae non modo comprobationem, sed et ad integritatem certe faciunt? Mitto quod etiam si ad me nihil ista spectassent, invidiosus minimeque omnium ingenui animi extitissem, si contra eorum gratiam, quorum magis interesse videtur, a debito praesentis operis exequendi dissimulassem.

De minimi inventione, quae in primo dialogo pertractatur, nihil hactenus invenimus exaratum. De circino autem aliquid editum extat, quod (per meam fidem) tam rude, tam crassum, tam contorto ordine, tam ignorante doctrina scriptum constat, ut ipsum certe editum tanquam non editum ideo quisque facillime iudicare posset, quia illud idiotae alicuius industrioris vel agrimensoris vel carpentarii apparere facit instrumentum, quod alicui potius casus vel instinctus quidam non errantis intelligentiae, qui rudioribus hominibus cum brutis solet esse communis, quam disciplinata vivaxque (qualem in Mordentio coniicio) ratio suggesserit.

Ego igitur, qui non aequo animo ferre possum hinc res magnas eximiasque pro dignitate minime tractari, inde vero viles atque pueriles | quisquilias velutique primo ma- a 4r chinantium puerorum deliria (pro quibus tot editae undique perstant voluminum myriades) tam magnifice in croceis de suggestibus de mundo triumphare, ipsam universarum mechanicarum artium artem, ni pro meritis ipsius, pro

---

28 miriades

meis saltem viribus a contemptu eripere, fovere et exaltare studui. Ita quippe hoc ut facerem mihi a diis iniunctum esse existimavi, sicut et ab eisdem posse facere mihi sentio elargitum. Quid enim? Nonne qui hominem ab iniuria potest eripere et non eripit in aequo est atque ille qui infert iniuriam? Nonne divinis hominibus adsistere Deo inhabitanti divinisque geniis adstantibus est adsistere?

---

5 in equo est atqui ille

IORDANI BRVNI NOLANI 1r

MORDENTIVS,

SIVE DE GEOMETRICIS FRACTIONIBVS AD EXACTAM COSMIMETRIAE PRAXIM CONDVCENTIBVS.

INTERLOQVVTORES { BOTERVS. MORDENTIVS.

CAP. I.

Qua ratione caeteri ad exactam mensurandi praxim non devenere.

Dii boni, quam multiplex, quam confusa, quam mediata, quam consequenter incerta isthaec operatio Ptolemaica. Ille Compositionis magnae discursus quam longe me distrahit, quam acriter me vexat.

Mor. Cum toto hoc tamen defectuosum truncumque est quod et ipso adsequitur et caeteri post ipsum adsequuntur. Singuli enim et universi aliquid (quod ob parvitatem et insensibilitatem non esse | magnificiendum as- 1v
serunt) propter inertiam praetermittunt, de quo tamen dum interim diversimode supponunt, supputantes inducunt et quasi coniectantes non eadem ratione definiunt, quod discrimen est, quae differentia, quae diversitas, quae longissima totaque horizontis diametro sepositio est, quam non subire credantur, si illud respiciamus quod quaedam, tametsi in

---

18. 19 descrimen

principio parum aut fere nihil differre videantur, longiore tamen progressus tractu toto distare caelo convincentur?

Bot. Certum est quod ais, o Mordenti. Quis enim ignorat in centro convenire unumque esse quantumcumque ad diversos oppositosque terminos diversae oppositaeque lineae contendentes? Unde illud satis promulgatum inferre licet, quod parvus error in principio maximus in fine comprehendatur; quantumvis enim duae lineae in centro idem sunt prorsus et unum, proximaeque centro prope nihil differre videantur, magis tamen atque magis circumferentiam versus protensae differentiam suam sensibiliter insinuabunt, ut tandem velut in solis area scriptum appareat in quantum promoverit errorem id quod adeo exiguum quandoque iudicabatur. Hinc infero nihil esse tam modicum minimumque de fractionibus in astrolabio sensibile, quod in **2r**
tanta quanta est inter nos eminentissimaque illa lumina (distantia) maius quam sit totius terrae diametrus spacium non intercipiat. Quod si id in stellis primae magnitudinis accidit, quid in iis quae ad secundam et tertiam usque ad septimam et ulteriorem referuntur est iudicandum, quas a nobis tanto longius dissitas esse novimus?

CAP. II.

Quae fuerit defectus et erroris causa, et qua ratione, dum alii aliis conferuntur, ex iis quidam caeteris praeferantur.

Bot. Iam illud, o Mordenti, si pollicitationi tuae meaeque respondere cupias expectationi, a te scire velim, quid est quod de caeteris tamdiu retroactis et difficultatis discrimine abactis tam strenue acriterque triumphavit, tibi tamen uni cessit tandem seseque explicuit?

---

5 *l.* diversas oppositasque lineas

Mor. Perfecta fractionum notitia est quae fugiens cunctos vicit, occupavit, obruit erro|rique vinculis tenebra- 2v rum involutos addixit, ne umquam totis nervis ingeniique conamine efficere possent, quominus propter residua quaedam illorum incomprehensibilia mensuris et ipsi non modicum fallerentur et alios non mediocriter fallerent. Ego vero qua (ut istam facultatem assequerer) usus fuerim industria duce, quoque iactorum fundamentorum principio fuerim auspicatus, si audire cupis, paucis et plenissime insinuabo.

Bot. Attentissime te audiam.

Mor. Quoniam de fractionibus peritia, ut optime nosti, nihil aliud est quam exacta proportionis arcuum ad circumferentias et chordarum ad diametros cognitio, ex qua consequenter ea quae est chordarum ad arcus et arcuum ad chordas diducitur, idcirco ipsam ad haec usque tempora non difficillimam modo, sed et rationibus habitis impossibilem iudicavi, cum animadverterem quamcumque aliam praeter unam viam ad rei perquisitae adeptionem non posse promovere. Cum ergo varios atque diversos (qui ad huius operis complendi studium animum appulerunt) evolverem, nulla alia de causa alios aliis celebriores iudicare potui, quam quia non temere faciliorem, expedi|tiorem 3r magisque compendiosam viam ad unum, idem itidemque arripuerunt, dum caeteri magis arduis operosisque demonstrationibus amplius studiosorum animos contorserint; ut tandem nullum aliud inter quemcumque talem atque caeteros liceat discrimen invenire, quam quod hic facilius, ii vero difficilius ad idem atrium pervenerunt. Ex ipsis autem omnibus nullus extat omnino, qui eo celebrior evaserit

16 *leggi* deducitur 21 appulerent 26 contorxerint

quod universis a tergo relictis ulterius promotus in Musarum penitius triclinum sese ingesserit. Quamvis enim nonnulli ob id ipsum, quod ad speculativa quaedam ratiocinia spectat, sibi aliisque apprime satisfecisse videantur, nullus tamen apparet qui de iis artis numeris, qui ad completissimam praxim conducunt, non desperarit.

CAP. III.

De duplici axiomate pro duplici artis propriaeque adinventionis fundamento.

Ego igitur, cum illud minime impossibile iudicarem, ista quandoque forma ad quae|rendum me contuli et ad inveniendum **3v** sum promotus. Cum, inquam, de quantitate continua usque ad ultimas partes sensibiliter physiceque mensuranda examinandaque propositum esset, duo mihi constitui principia, per quorum alterum viam mihi ad quaerendum quod intendebam sternerem, per alterum vero de intenti consequutione non desperarem. Primum erat quod ratio duorum integrorum et ratio duarum eorumdem fractionum similium una sit atque eadem; secundum commune philosophorum axioma, quod in subiectis physicis et artificialibus determinatum est ad eorum formas maximum atque minimum, unde sicut non naturaliter, ita nec artificiose dividentibus accidit in infinitum facere progressum.

CAP. IV.

De praedictorum fundamentorum facultate.

Iam continua quacumque oblata in certas distributa portiones quantitate, non est fra|ctio adeo minima et inde- **4r**

---

2 penicius *forse* triclinium, *ma cf.* τρίκλινον 10 querendum 12 phisiceque 19 phisicis



terminata, quae in aliqua dictarum portionum comprehendatur, ut pro ipsa definienda maior mihi difficultas exoriatur quam de quacumque maiore, cuiusque ad caeteras partes proportio cuilibet citra omnem pervia potest esse difficultatem.

Bot. Cuinam unquam accidere potest in mentem, ut hoc ni impossibile, saltem non ita nec prope ita facile ut asseris esse credat?

Mor. Qui quod sibi forte est impossibile, opinatur alteri non posse esse facile.

Bot. At si ita est ut ais, quis nisi invidiosus et perversissimi animi ingenium esse potest, qui putet ab hac aetate futurisque seculis minores tibi deberi grates et encomia, quam cuicumque qui aliqua celebri adinventione hactenus humanum animum ad nobilissimos promovit habitus?

Mor. Qui animam sine statera nactus est, qui rei momentum non capit, qui lumen intelligentiae non attingit.

Bot. Iam, si lubet, edo adinventionis tuae specimen.

A CD EF B

Proponitur hîc tibi diametrus AB | (quam partium vel 4v
viginti vel sexaginta vel quantamcumque pro commodo et occasione ponere licet) sexdecim partium aequalium, de qua duae, quas novimus, sumendae sunt partes cum aliqua, quam non novimus, tertiae partis portione comprehensa in spacio CD, quae indeterminate et absque comprehensibili proportione recedit a sensu medietatis, quadrantis, tertii, caeterisque facilem reddere solentibus commensurationem speciebus. Ostende quanta sit illa fractio suo in integro,

et quomodo compertum nobis esse possit in tua mensura non habere locum calumniam ullam, sed absque controversia, ut proponis, exactissimam esse et absolutam.

CAP. V.

Theorici principii applicatio ad praxim.

Mor. Ad positae cuiuscumque et quantaecumque fractionis iudicium et definitionem, quae sive in recto sive in circulari capiatur, eadem te forma geras oportet, qua me procedentem vides in hac per te proposita. | Stante gemino 5r
quod modo propositum est principio, quod venit applicandum diametro AB, quae nunc ponitur sexdecim esse partium (sicut ex more ponitur centum et viginti; id enim differt nihil), meminisse debes quemadmodum proportio quam obtinet una pars cum sexdecim omnibus, eamdem proportionem habet pars similis ipsius partis ad partem totius. Velut enim sextadecima pars sexdecim vicibus intrat in diametrum, ita medietas ipsius partis sexdecim vicibus intrat in medietatem diametri, et tertia pars sexdecim vicibus in tertiam eiusdem diametri partem, quarta quoque totidem in quartam partem vicibus, et ita deinceps de caeteris partibus est concipiendum. Nunc cape primo partem illam ipsius partis ignotam CD. Secundo pone illam sexdecim vicibus super diametro. Tertio nota quot partes intrent in dictam lineam, seu quot diametri partes intra acquisitum spacium comprehendantur, videbuntur autem intrare partes illae quae sunt inter A et F, illa integra notabis esse minuta comprehensa in ea incognita parte quae dabatur. Quarto quia aliquid superesse videtur quod inter F et G terminos includitur, et ideo ad incertam adhuc por-



tio|nem videtur facta progressio. Cape simili forma residuum 5v illud FG; namque sexdecim vicibus super diametro positum in partibus integris diametri totidem secunda indicabit. Ubi quoadusque aliquid amplius superesse non apparebit, ad adaequatam exactamque mensuram secundis tertia, tertiis quarta, quartis quinta et ultra superquirere non taedebit.

Bot. Hactenus rem nec alia via impossibilem neque supra modum difficilem aperuisti, sed certe modo optime et incomparabiliter meliore. Iam illud, ubi totum rei pondus incumbit, quaeritur, quomodo operandum sit, ubi differentia, quae oculo quoquo pacto sensibilis est, nullo circino nec ullo alio artificioso comprehensibilis est instrumento. Nonne ibi ob eximiam difficultatem et forte impossibilitatem de exactissima illa mensura convincenda desperabis?

CAP. VI. 6r

Ad ultimum mensurationis complementum dignitates inventionis huius.

Mor. Tantum abest, o Botere, ut inde tibi maior ingruat difficultas, ut et ibi prorsus nulla facili minus facilem mensurandi rationem patefactam sole clarius videre possis. Habes enim modum quo supra minore et quantumcumque ad insensibilitatem accedente parte multo potius facilius, quam supra maiori aliquanto difficilius valeas operari.

Bot. Dii boni, quinam fieri id potest?

Mor. Non minus etenim sensibilem minimam totius partem efficiam, quam quaevis maior pars sensibilis esse potest, quinimo et adeo sensibilem atque distinctam, ut

---

6. 7 tedebit 13 *abbiamo tolto l' interrogativo dopo* instrumento

et ipsum totum et integrum sensibile valet esse atque distinctum.

Bot. Tandem ostende.

Mor. Ipsumque ita fiet, ut quantumvis iudices quamlibet aliam inventionem (ob maiorem quam recipere potest dignitatem, facilitatem, | distinctionem et certitudinem) 6r perfectionis augmentum posse admittere, de hac id minime unquam opinabere.

Bot. Ede specimen.

Mor. Neque enim tam aperte atque distincte sol pellucentibus radiis discrete illa ob oculos offerre solet corpuscula, quam inventio nostra in continuo sitas obiicit portiunculas.

Bot. An facile erit omnibus, etiam postquam viderint, id credere? Mihi enim, dummodo sit possibile, nihil est quod fiat incredibile.

Mor. An non facile erit id ostendere, convincere, experiri? Sed vereor ne ob nimiam facilitatem contemptum in ignobilioribus excitet ingeniis, sicut in rudioribus facile valet ingerere dubiam ancipitemque suspicionem. Tale enim semper extitit in causa, ut arcana tegere, velare, adumbrare et in aviis abscondere receptaculis usuvenerit.

Bot. Ne ob eam causam velut invidus nobilioribus occurras ingeniis, et animis clarioribus id officii defraudare persistas. Hinc enim tibi tanto maiorem partam videbis esse gloriam, quanto haec inventio cum aliorum perquisitione collata ab innumeris laboriosis|que angustiis, dubiis 7r et confusionibus posteros omnes eripuisse probabitur.

Mor. Expediam ergo. Iam eo devenisti ut de fere insensibili parte tibi esset definiendum. Relicta igitur hac

---

9 specimem

minori et incomprehensibili, capias maiorem oppositam partem, eamque simili forma sexdecim vicibus per lineam positam deducito, et nota pariter quot partes intrent seu comprehendantur sub vestigiis deductionis maioris partis, et necessario habes residuum illud quod pertinet ad minorem, ut hac forma de minutis post gradus, de secundis, tertiis atque caeteris fractionibus post minuta valeas definire, quoadusque ad perfectam deveneris operationem.

Bot. Vis ergo ut iterum atque iterum ponendo sexdecim vicibus modo maiorem partem, modo minorem usque ad comprehensum fractionum sensibilium individuum procedam, dummodo ad partis minoris iudicium per ipsam partem sexdecim vicibus ductam accipiam quod habetur, ad iudicium autem minoris partis per maiorem totidem ductam vicibus accipiam quod supererit. Nec differre an ab uno an ab altero positae lineae extremo progrediar.

Mor. Ita fere.

CAP. VII. 7v

Medium, quo probatur non differre utram capias partem, vel utro metiaris ab extremo.

Sed quia vides nil magis interesse an minorem partem capias an maiorem, nunc, si lubet, ut magis determinate et maiori facilitate opereris, semper maiorem toties deducendam quoties facto opus fuerit adsumito.

Bot. Optime capio tersissimi ingenii tui fructum, o Mordenti; verum enimvero ut, quod mihi satis est perspectum et omni roboratum sensu et ratione constat, adhuc si fieri potest ad quantumvis tardum crassumque convin-

---

12 indicium 17 Ita fer 26.27 *abbiamo aggiunto le virgole dopo* ut *e dopo* constat

cendum ingenium amplius manifestetur velim (id etenim tantae rei momentum exigere videtur), quemadmodum data parte minori CD, et data parte maiori ipsi opposita, mensuranti non esse ambigendum cum hac vel cum illa discurrere, propterea quia operatio non turbatur, nec easdem partes accidit iterum adsumere, neque diversam possibile sit incurrere partium numerationem. Doce; praeter hanc enim secundum positas partes progressum mutationem vel 8r
indifferentiam nil penitus est, quod eam suspicionem, qua quispiam tibi tardius adstipuletur, excitare queat.

Mor. Quis ignorat quod in toto definitarum partium, si duae portiones invicem comparentur, ut subtrahendum et positum, ut maius et minus, convenire ut eadem ratio consequatur, si invicem per alterutrum mensurentur? Quis non videt non differre an ex alio posito vel ex se ipso cognoscas residui quantitatem? Non, inquam, differre an minus per sese an per reliquum maius definiatur, ubi positum et residuum, maius et reliquum, subtractum et principale, reddunt definitum totum, integrum et idem? Considerato nunc, quicunque sis, partem illam minime sensibilem sensibilioris illius partis esse residuum, ut notata sensibilioris quantitate, quae tanto maior tibi offertur, quanto e regione est opposita minor, necessario alterius, quae indefinibilis iudicabatur, nihilo quam de reliqua minus debes esse certior.

Bot. Quam mehercule prompta, quam facilis, quam in foribus erat haec inventio. Atqui non ideo minores tibi debentur grates, immo tanto | maiores, quanto magis indi- 8v
gne latebat omnes.

Mor. Mirum est, o Botere, quod veritatem atque sa-

---

4 esse] *sic* 8 *forse* progressuum ? *ovvero* progressus ? 9 poenitus 12 substrahendum

pientiam pauci vident et audiunt, quam tamen Salomon et universa illuminatorum authoritas in foribus clamare et in plateis dare vocem suam, quamque res ipsa comprobat magis nobis esse proximam quam ipsi nobis proximi esse possimus.

Bot. Hîc certe per me nihil desideratur, sed quid est quod per te amplius desiderari posse videtur?

Mor. Nil certe quod ad negocii pertinet essentiam.

CAP. VIII.

De iterationis et duplicationis opere.

Porro ad expeditiorem praxis exequutionem ita hîc doceo procedendum, ut post primam iterationem, in integram duorum spaciorum dimensionem circini cruribus expansis, semper successive quantitas comprehensa duplicetur, ut dicas unum, duo, quatuor, octo, sexdecim. Quod si duplicanti excessus | super unam pluresve partes accidat, **9r**
veluti si linea super qua duplicatio fit decem et septem esse ponatur partium, tunc acceptae quantitati id ipsum, quod deficit, in fine superaddatur. Si vero e contra pars vel partes exuperantes occurrant, ut accidit duplicanti super linea sexaginta partium, tunc parte illa vel partibus principio reiectis et praetermissis supra reliquas duplicatio compleatur.

Bot. Teneo.

CAP. IX.

Brevissima via ad rectarum dumtaxat linearum fractiones dignoscendas.

Iam capias aliam operandi rationem in figura triplicis demonstrationis expressam, quam non in circularium, sed rectarum linearum fractionibus solummodo valere praenoscas, quandoquidem posita secundum partes suas mensu-


randa linea recta quae sit A M B et linea curva A F B apertum est in illa partes omnes atque singulas venire cum supputatione totius, in hac vero non ita, cum sumere oporteat non in semicirculos, quadran|tes caeterasque similes **9v** partes integrum dividendum (de quibus, ut et de rectae lineae partibus, valeas definire), sed ad partium fractiones intuendas sit progrediendum.

Bot. Ad rem.

DE CONSTITVTIONE FIGVRAE TRIVM DEMONSTRATIONVM.

Mor. Ad nostrae igitur figurae constitutionem pariter atque propositi artificii elucidationem, ducatur primo linea recta A B in duodecim partes aequales divisa. Secundo illi ad angulum rectum constituendum opponatur aequalis linea A C. Tertio in fine ipsius lineae sumatur pars una uni positarum duodecim partium aequalis, et a puncto illo trahatur linea aequidistans a linea A B, quae sit linea D E quantacumque.

10r



---

5 rectò 8 Bvt.

Prima demonstratio.

Nunc si scire cupias in posita linea A B quanta sit fractio illa B F, primo signa illam super D E, et sit D F. Secundo ex puncto C lineam rectam super A B trahe, quae erit ad punctum G; tuncque partes illae comprehensae inter A et G notabunt tibi minuta, quae erunt novem cum aliqua ignota fractione. Tertio ignota illa definienda accipiatur, et eadem qua dictum est forma ponatur super linea D E, et | operare ut prius, quoadusque ad complementum minutis **10ᵛ**
secunda, secundis tertia et id genus alia subiunxeris.

Secvnda in eadem figvra demonstratio.

Idem invenies, si a puncto B uni positarum partium aequalem lineam trahas, quae sit B H. Secundo ab H ad punctum A ducas lineam angulum rectum constituentem, qui est A H B. Tertio in linea B H capias fractionem fractioni B F aequalem, quae sit H I. Quarto ab I puncto protendas lineam aequidistantem a linea H A, et videbis illam pervenire usque ad punctum G, ubi indicat quantitatem lineae, sicut per priorem fiebat operationem.

Tertia in eadem figvra demonstratio.

Idem si tertia via velis invenire, designatur super puncto A quadrans circuli, cuius semidiameter sit ad unius partis quantitatem, ducta linea K N. Secundo ad al-

---

13 *sqq. nella figura (p. 242) originale mancavano le lettere* B C *e le lettere* H I *agli estremi di* AH *e* GI*; inoltre* BH *era disegnata perpendicolare a* B A   21 *forse* designetur   22 semediameter

terius quadrantis consti|tutionem super centro A ducas lineam **11r** BC. Tertio in linea KN sume partem aequalem fractioni BF, quae est KL. Quarto a puncto A per punctum L trahatur linea recta usque ad arcum BC, quae est ALM. Quinto capiatur dimensio lineae MB, et invenietur lineae AH aequalis, et per consequens illud demonstrat ultima, quod per primam atque secundam ostendebatur operationem.

CAP. X.

Comparatio inter tres praedictos demonstrandi modos, et inter operationes differentia.

Bot. Positis tribus demonstrandi viis, quarum aliam cum alia conferre licet, aperi quaenam sit ex ipsis quae tibi maxime omnium probetur.

Mor. Tertiam incomparabiliter iudico meliorem. Quia cum in prima operatione linea DE secat lineam CG in puncto F, et in operatione secunda linea IG tangit secundam lineam BA in puncto G, producuntur sectio|nes obliquae, **11v** et propterea non secare intelliguntur in uno sed in pluribus punctis, si in materia fiat et in praxim veniat sectio. Ubi vero in tertia operatione linea AM secat arcum KN in puncto L, et tangit secundum arcum BC in puncto M, sectio est per rectum, et in materia quoque non est nisi per punctum. Mitto quod talis operatio facillima est, cum potius possis duos parallelos circulos quam duas parallelas lineas ducere, et angulos rectos comparare.

Bot. Melius et deterius et omnis comparatio est semper ab aliqua differentia. Differentia semper inspicitur in

---

6 *forse* AG? 12 Bvt. 27 But.

alia et alia subiecti ratione, alia et alia subiecti ratio eandem formae rationem non supponit. Cum' ergo in mathematicis cuiusque rei simplex sit ratio et non in quadam latitudine consistens, necessario in eiusdem speciei subiecto comparatio nullum admittit locum. Non enim dicitur rectum alio recto rectius, et circulare magis alio circulari, quamvis curvorum obliquorumque definitus nullus extet modus. Iam tuum est quod dicis ad propositum applicare sententiae, quae tres investigandi rationes ad invicem comparavit.

Mor. Ad plus quam satis expressam obiectionem respon- 12r
deo, non esse comparationem inter tres dictos demonstrandi modos, si eo respiciant, ut vel lineae quantitatem vel punctum divisionis theorice ostendant, ubi citra materiam idem et simplex prorsus est punctus qui indicatur, cum quo venit linea in contactum et in quo sectio efficitur; atqui inter demonstrationes comparatio est, si ad praxim respiciant. Inter mechanicos vero iuxta diversa haec principia dividere volentes discrimen est, tanquam unum qui bene et alios qui male operantur.

Bot. Acquiesco. Una igitur ad exactam operationem faciet, caeterae autem (quatenus nobis constare potest divisionem per obliquum in subiecta materia exacte non posse fieri, quo per eam plures non intercipiantur indiviaduae partes) falsae nobis erunt et improbatae.

Mor. Ita.

Bot. Centum debes, o Mordenti, pro tanta inventione hecatombes. Iam enim in posterum quis haesitare debet, si quaecunque continuae quantitates ponderandae, metiendae et oculis quibuscunque proportionibus definiendae | pro- 12v

7 abliquorumque 21 e 27 But. 24 interopianturi 28 hesitare

ponantur? Quis est qui meliora vel paria in hoc genere invenire posse non diffidat, si nec similem neque praestantiorem possibile est eiusdem comparandi viam invenire?

Mor. De iis hactenus.

FINIS.

IORDANI BRVNI NOLANI 13r

DE MORDENTII SALERNITANI CIRCINO

DIALOGVS.

INTERLOQVVTORES { MORDENTIVS. BOTERVS.


MOR. Iam quid est aliud quod in mentem tibi venire atque te desiderare possibile est, o Botere, praeterquam instrumentum apparasse tanto artificio accommodatum?

BOT. At non iudicas vulgatum circinum satis accommodatum?

MOR. Non certe, quamvis nulla memoria proditum extet quandiu in eius inventione mortales ita acquieverint, ut in hoc genere sibi factum esse satis acclamarint. En hîc tibi circinus ille in solido, quem in plano habes hesterna | tibi die 13v
in figura trium demonstrationum indicatum. Aspice compactum ex duobus cruribus regulariter quatrangularem figuram obtinentibus instrumentum, utpote quae extenta ex quatuor laterum singulis inter duo puncta brevissimam lineam (nempe rectissimam) faciendam regulent factamque indicent, quaeque circumquaque circa planisphaerium, e cuius medio utrinque duo centra exurgunt, simul in circuli complementum facile coire valeant.

---


13 externa   19 iudicent   circunquaque   19. 20 *abbiamo aggiunta l' interpunzione dopo* planisphaerium *e dopo* exurgunt



Bot. Hactenus nihil admodum praeter diu vulgatum singulare coniicio.

Mor. Iam aspice iis additos quatuor (quos ita appellare consuevi) cursores istos, quorum centro proximiores primos appello, inde vero versus extremitatem remotiores secundos; qui omnes firmo (hinc scilicet illincque non trepidante) decursu ad diversa pro occasione munera obeunda diversas sibi valeant a centro distantias asciscere. Considera quemadmodum cursorum singuli in loco ipsis designato certoque in cruribus puncto, ne quando nutantes temerato operatorem frustrentur officio, singulas suo dorso appositas deferunt vertebras, quibus veluti clavis ubicumque libuerit appliciti firmius consistant.

14r



Bot. Video sane affabre omnia constituta. Iam edoce, quaeso te, quid ferat iste apparatus.

Mor. Plurima omitto, quae quilibet per se ipsum poterit inspicere atque iudicare. Illud primo tibi significatum esse volo, non solum si ad hunc conferatur, verum etiam

6 scilitet 6. 7 trepidante decursu) ad 8 assiscere

et simpliciter absoluteque falsum esse circinum vulgarem; quandoquidem semper magisque dilatatum tanto amplius etiam atque amplius soleat in medio quidem angulum obtundere, in extre|mitate vero eousque acuere, ut tandem non **14v** lineam sed planum relinquant circumeundo vestigium. Longe deinde incomparabiliterque magis conducere videtur, ut ita composito instrumento ad operationem expeditiorem fiat accessio, quam simpliciore certeque infirmiore instrumento ad eandem multiplicem, compositam, implicitam atque perplexam. Proinde per circinum nostrum operationis progressus non solum Euclidicos, sed et caeteros universos alios tanto longius antecellit, quanto paucioribus actibus atque facilioribus omnia ita praestet, ut ad cuiuscumque figuraꝗ constitutionem peregrinas lineas neque exigat neque in plano faciat unquam apparere. Quid enim? Vis in data linea triangulum aequilaterum constituere? Dispone duos cursorum ad lineae datae longitudinem et centrum tertium consequenter punctum designabit illum, a quo ad duas extremitates duplex sit ducenda linea. Vis ad datum punctum datae rectae lineae aequalem rectam lineam ducere? Loca centrum super extremitate lineae (pro maiori commoditate) propinquiore, unumque cursorum super alia et alterum super dato puncto, sicque dispositum circinum convertito, ut cursor maioris lineae accipiat | punctum datum, et alter commodiorem lineae extre- **15r** mitatem accipiat; centrum necessario alterum punctum ostendet, a quo ad datum punctum trahitur linea quae quaerebatur. Vis datis duabus lineis inaequalibus a maiori minorem aequalem abscindere? Adaequentur duo primi cursores minori, secundi vero maiori, ut deinde secundis cur-

---

21 extraemitate, 25. 26 extraemitatem *e similmente altrove*

soribus maiorem apprehendentibus primi necessario minorem largiantur, tandemque primi maiori lineae superpositi illam ut quaerebatur abscindant. Placet rectilineum D A E angulum datum bifariam secare? Dispone cursores ut aequidistent a centro, hocque locato super angulo A eousque circinus aperiatur, quoad crura D et E linearum attingant extremitatem, sicque perstans circinus vertatur duobus cursoribus rursum in D et E punctis collocatis, ut centrum ad inferiorem partem alterum ostendat punctum, a quo ad angulum ducta linea ipsum ita secet ut quaerebatur. Placet datam A B rectam lineam bifariam secare? Nonne duobus cursoribus super AB collocatis centrum pariter ad partem inferiorem atque superiorem versum duo puncta, quae lineae secantis fiant extremitates, indicabit? Vel si absque positis punctis operari libeat, | nonne quacunque alia linea 15v
in duas partes divisa, et cum primis cursoribus illius medietate accepta et cum secundis integra, si ita circinum aperias ut cum secundis cursoribus datam capias, divisam dabunt primi quam isti integram? Libet datae rectae lineae a puncto in ipsa dato ad rectos angulos rectam lineam ducere? Quid impedit quominus proxime dicta ratione procedas? Aut accommodato ad angulum rectum circino (quod fit qualibet linea in quinque partes divisa, de quibus centrum cum uno cursorum tres, et cum altero quatuor partes intercipiat, moxque circino ad quinque partium aperto) centroque super punctum datum collocato, et uno cursorum super eadem linea, necessario a puncto alterius cursoris linea cadat ad angulum rectum? Nunquid non similiter super datam rectam lineam infinitam a dato puncto, quod in ea non est, perpendicularem dabis lineam? Optas ex tribus rectis

18 datum

lineis, quae tribus rectis lineis datis sunt aequales, triangulum constituere? Cum centro unus cursorum minorem intercipiat, alter vero mediam, ut cursoribus ipsis ad maioris longitudinem extentis habeas puncta, a quibus ductae lineae quaesitum dent triangulum. Placet ad da|tam rectam lineam **16r**
et ad datum in ea punctum dato angulo rectilineo aequalem angulum rectilineum constituere? Operare ad dictorum quorumdam formam. Proponitur per datum punctum datae rectae lineae parallelam rectam lineam ducere? Dispone cursores ut a centro aequidistent, loca centrum super dato puncto, aperi circinum quoadusque cursores incidant super data linea, move cursores ut super eadem situm mutent, utpote altero cursorum super extremitate lineae posito, altero vero super ipsa linea, tuncque centrum alium punctum ostendet, per quod parallela sit ducenda. Vis ad datam rectam lineam quadratum describere? Disposito circino ad angulum rectilineum pone centrum in lineae extremitate, cursoribusque ambobus ad datae lineae longitudinem dispositis, circumductione circini ut e vestigio alter cursorum alterum sequatur, quadrati constituendi puncta lucraberis. Cupis in dato circulo quadratum describere? Non id perficies primo ad semidiametri illius circuli longitudinem positis cursoribus, circinoque ad angulum rectum disposito; et deinde, centro circini in centro circuli collocato, necessario cursores primi duo puncta quae | quadrantem ter- **16v**
minent exhibebunt; quo quidem habito per unius cursoris vestigium alterius cursoris vestigio succedens in plano puncta designabuntur, quae sunt ad lineas quadrati terminandas ordinata. Nunquid non eadem ratione circa datum

---

4 extenctis 14. 15 aliud? *ovvero* per quem (*cf. p. 249, 18*)? 20 costituendi 21 *f.* Nonne, *ma comunque si legga, il periodo è scorretto, perchè dopo la prima proposizione è abbandonata la forma interrogativa*

circulum quadratum describes, dummodo non lineae trahantur internae, sed cum primis cursoribus intercepto quadrante centrum successive punctum extra circumferentiam ostendat, a quo linea ad quadrati quaesiti constitutionem ducenda sit? Placet a data recta linea imperatam partem abscindere, seu quamcunque partem dare? Quamcunque lineam in tres vel quotcunque quaesitas partes dividito, centrum primique cursores quaesitam partem intercipiant, centrum atque secundi totam illam capiant, ut ad totius comprehensionem per secundos aperto circino primi sine errore quaesitam partem indicent. Si opus est in quascunque partes lineam dividere, ut exempli gratia in quinque, tu postquam lineam quamcunque in quinque partes distribueris, dispone circinum ut primi cursores datam lineam capiant, secundi vero totam tuam in quinque distributam portiones; consequenter enim, si circini crura eousque aperiantur quoad | secundi cursores totam divisam lineam in- 17r
tercipiant, primi totam datam offerent. Iam super una lineae extremitate uno cursorum fixo, si alter ab altera lineae extremitate per singulas sese recipiat partes, efficiet ut per primorum cursorum motum lineae dividendae partes ostendantur. Hîc si linea data maior sit quam a secundis cursoribus intercipi possit, divisaque maior sit quam a primis cursoribus intercipiatur, capias unius simulque consequenter et alterius medietatem, et ut potes dividito. Ita lineam insectam datae rectae lineae sectae similiter secabis, ubi primi cursores cum centro lineam dividendam, secundi vero sectam intercipiant; moxque circinus aperiatur ut secundi divisam comprehendant, a cuius extremitatibus, dum per singulas partes constringuntur, in totidem partes primi

---

3 circunferentiam 12. 13 quinque. Tu 24 intecipiatur

dividendam distribuant. Cupiens duabus lineis inaequalibus datis alias dare in eadem proportione maiores atque minores, cum centro primisque cursoribus minorem intercipias, cum centro secundisque maiorem, ut ita aperto quantumlibet circino in quantalibet quaesitam dabis magnitudine. Si cupias datis duabus rectis lineis tertiam invenire proportionalem, dispone circinum ut cen|trum cum primis curso- **17v** ribus intercipiat minorem, cum secundis vero maiorem, ut deinde, si quaeras tertiam proportionalem minorem, supra minore secundis collocatis primi quaesitam largiantur, e contra vero iidem situentur, si tertiam maiorem proportionalem quaeras; primis enim super maiore positis, quaesitam dabunt secundi. Eodem pacto disposito circino poteris ad quartam, quintam et quantamlibet in continua proportionalitate procedere. Placetne duabus sic facile vel tribus magnitudinibus commensurabilibus oblatis maximam earum communem mensuram invenire? Sume lineam (ut unum tibi numerum definiam) in sexaginta partes divisam, dummodo totam circini in rectum longitudinem non excedat, quo videlicet secundorum cursorum pyramides lineam comprehendere possint universam. Dispone circinum ut primi duo cursores secundum minoris lineae longitudinem a centro distent, secundi vero secundum longitudinem maioris, ut postea, aperto circino secundisque cursoribus duas lineae divisae partes continentibus, videatur num primi veniant ad capiendam unam partem, quoniam illa procul dubio maxima erit communis men|sura. Sin minus, circinus usque adeo **18r** aperiatur, videaturque num, ubi secundi tres partes intercipiant, primi veniant ad unam vel duas partes intercipiendas, vel (ut ampliorem numerum adducam) si secundis de-

9 queras 19. 20 excaedat 20 piramides 30 vel ut (ampliorem

cem et septem partes intercipientibus primi intercipiant duodecim, communis mensura vel haec duodecima vel illa decimaseptima habeatur; atque ita semper toties extensio varietur, quoties vel ad exactum opus variasse sufficiat, vel eo deventum fuerit ut opus inveniendarum fractionum superius declaratum conducere tibi videatur. Ubi secundis cursoribus sexaginta partibus a centro distantibus, primis autem una sexagesima dumtaxat, perpetuo fiet ut quidquid primi minimum comprehenderint, secundi in maximo amplissimoque designent, ut eousque primis fractionum sexagenis secundas, secundis tertias, et ita deinceps usque ad exactissimum valeas apponere. Similiter, si cupias non solum sexagenas, sed vel quascunque alias determinatas partes, quales sunt palmi, pedes et similia, oblatae magnitudinis exacte inquirire, semper operaberis. Nec minus commode poteris quantumcunque de toto aliquo, puta quartam, quintam, mediam, tertiam vel aliam accipere par|tem, ubi 18v
secundi cursores ad integri, primi autem ad partis rationem fuerint accommodati super quacunque linea in tot quot opus fuerit partes divisa; totoque circino super data magnitudine ducto ad numerum, quo integra a secundis cursoribus comprehendentur iteranturque in data magnitudine, multiplicentur appositiones quartarum vel tertiarum vel aliarum quaesitarum partium in loco seorsum; tandemque cum in fine fractio supererit et ad eius dimensionem secundi cursores contrahentur, consequenter et primi ad eiusdem quartam partem contracti invenientur, qua designatis seorsum appositionibus addita exactissime quartam quam quaerebas partem te percepisse videbis.

Bot. Tacere magis expedit, o Mordenti, quam tibi de

---

22 *forse* comprehenduntur? 23. 24 teriarum 27 inenientur

te non pro dignitate loquendo detrahere. Id tamen coram omnibus minime cunctari profitebor, quod uni tam divinae exactaeque praxis adinventori quicunque temporibus elapsis frustrata inquisitione tenus extiterunt, ut umbra luci, ut vana phantasmata veritati, et ut divitias aucupantes possessori, tibi optimo iure cedere debeant geometrae; te unum in caelum universa geometrarum posteritas efferat, velutique artis huius | Deum sensibilibus hominum oculis **19r** expositum suspiciant, admirentur, colant; Lares tuos, caelum Salernitanum et diam illius horizontis maiestatem longe magis quam curiosam Aegyptum, grandiloquam Graeciam, operosam Persiam, subtilem Arabiam, caeterasque studio famosas regiones caelo exaequent, siquidem Fabricium illum, quem tot secula totque olim provinciae parturiebant, ea tandem patria nobis peperisse potuit.

---

2 *avrà voluto* cunctabor profiteri


IORDANI BRVNI NOLANI 19r

INSOMNIVM.

Aderat nescio quis, cuius neque vultum neque habitum retineo, eius tamen verba et in tabella oculis expositae notae linearumque tractus non me praetereunt. Habes, inquiebat ille, quatuor circa medium solem errantium astrorum circuitus, ubi huiusce divinae matheseos filiae dimidiatam adtentatamque rationem obtinuisti. Habes eam sensus facultatem, qua veluti per longum atque latum ad mensuram duarum dumtaxat dimensionum facillimus tibi pateat accessus, quando iuxta normam cinguli mundani recta in ortum et occasum, nec non in hunc illumque mundi cardinem ad multiplicis meridiani legem atque normam excurris. At vero quo pacto cosmimetrae istorum profundi pervius possit esse attactus, certe ne haberi quidem posse cogitasti. De caeca etenim profunditatis mensura, qua stellis ad solem atque tellurem accedere et ab eisdem recedere contingat, frustra luminis incerti, vagi, alterabilis, augmentum recipientis atque decrementum, dilatatione districtio|neque 20r perquiritur, ubi etiam perperam per latitudinis diametrum diametri profunditatis ratio investigabitur. Nunc ergo qua via id facile et ad numeros omnes perficere possis accipito.

---

19 districtioneque] districtio, neque



Haec est, haec est illa machina, quam a me oculis expositam ut mente teneas iniungo. In hac enim tibi methodus aperitur, in qua legem motus eius, qui circa medium est, lex motus eiusdem vel cuiuscunque consequitur alterius, quod a medio pergit vel ad medium; ut inde inferre tibi quam certe exacteque liceat dimensionis | a dimensione, **20v**
motus a motu, ponderis a pondere, consequentis quoque quantitatis, qualitatis et cuiuscunque rei, quae certis definitisque in rerum natura gradibus consistentiam adepta est. Nonne enim congrue satis metiri remetirique invicem accidit motus quantitati atque mobilis? Nonne in connexis atque continuatis certam circa certum centrum gyrantis legem certa alia ab ipso ad ipsumque contendentis consequatur oportet? Nonne in continuo partis unius translationem caeterarum omnium partium translatio sequitur?

FINIS.

5 quod] qui ? 6 liceat <legem> ? 12. 13 girantis

